OPUSCULA BIBLICA
PONTIFICII COLLEGII ANGELICI

DE PROLOGO JOANNEO ET LOGO

DISSERUIT

Fr. JACOBUS-M. VOSTÉ O. P.
S. Theol. Lector et S. Script. Doctor
Professor Exegeseos Novi Testamenti

Accedit Quaestio de iudicio inspirato hagiographi.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

15.3
P

ROMAE
Collegio Angélico | Dep. Libreria Desclée
Via S. Vitale, 15 | Piazza Grazioli
1925

Vriendelijke hulde
J. M. Voste
o.p.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/deprologojoanneo00unse

OPUSCULA BIBLICA
PONTIFICII COLLEGII ANGELICI

Vosté, Jacques Maria

DE PROLOGO JOANNEO ET LOGO

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DISSERUIT

FR. JACOBUS-M. VOSTÉ O. P.
S. THEOL. LECTOR ET S. SCRIPT. DOCTOR
PROFESSOR EXEGESEOS NOVI TESTAMENTI

Accedit Quaestio de iudicio inspirato hagiographi.

ROMAE

COLLEGIO ANGELICO — Via S. Vitale, 15 | *Dep.* LIBRERIA DESCLÉE — Piazza Grazioli

1925

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

BS
2615.3
V6

Τῶν ὀνομάτων καὶ τῶν ῥημάτων
τῶν ἐν ταῖς Γραφαῖς κειμένων,
οὐχ ἁπλῶς ἡμᾶς
ὁ Θεὸς
ἐπακούειν βούλεται,
ἀλλὰ μετὰ πολλῆς τῆς συνέσεως

(S. Ioan. Chrys. *in Ioan. hom XV, 1.*)

Quoniam apud te est fons vitae
et in lumine tuo videbimus lumen.

(Ps. *XXX, 10*)

PRAEFATIO

S. Augustinus magnifice extulit singularem altitudinem Evangelistae Joannis, qui non immerito, *considerato solo prologo*, aquilae comparatur: « Nam ceteri tres evangelistae, tanquam cum homine Domino in terra ambulabant, de divinitate eius pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se, non solum super terram et super omnem ambitum aëris et caeli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, et pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo: « In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil... » Huic tantae sublimitati principii etiam cetera congrua praedicavit, et de Domini divinitate, quomodo nullus alius, est locutus. Hoc ructabat quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia et in convivio super pectus Domini discumbebat *(Joan. XIII, 23)*. De illo ergo pectore in secreto bibebat: sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes gentes non solum incarnatio Filii Dei, et passio, et resurrectio; sed etiam quid erat ante Incarnationem Unicus Patri, Verbum Patris, coaeternus generanti, aequalis ei a quo missus est ». *(In Joan. tract. XXXVI, 1)*.

« Aureis litteris conscribendum, et per omnes ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse » ioanneum prologum, dicebat Platonicus quidam, testante eodem Ecclesiae Doctore *(De Civit. Dei, X, 29)*.

Sufficiant praefationis instar haec Augustini verba, quibus commendatur ioanneus prologus simul et eiusdem commentarius. Votum demum facimus atque a Deo efflagitamus ut Sacerdotes, cottidie post sacrificium Missae haec verba sublimia evangelii

25687

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

legentes, digne, attente ac devote ea recitare valeant, Deum infinitae caritatis laudantes, atque deprecantes ut in veritate caritatis regnet Ipse in cordibus nostris.

Occasione ioannei prologi ponitur quaestio de Logo seu Verbo. Primus enim atque solus inter scriptores N. T. utitur Ioannes hoc nomine ad designandum Christum ab aeterno praeexistentem Deum apud Deum. At undenam habet Evangelista hanc vocem? Respondent rationalistae cultores scientiae religionis comparatae, cum voce ipsam notionem *Logou* fluere ex philosophia graeco-alexandrina, in specie Philonis Iudaei, quae per quartum evangelium transsumpta est in religionem christianam. Haec sententia, ut patet, funditus delet supernaturalem characterem doctrinae evangelicae et religionis nostrae. — Ostendemus ergo *quoad doctrinam* nihil commune haberi inter Philonem et Ioannem. *Quoad vocem* similiter, quamvis multi theologi et exegetae influxum admittant philosophiae graeco-alexandrinae in quartum evangelium, probabilior nobis videtur (quo recentiores tendunt) directus influxus librorum Sapientialium V. T. in Ioannem, et ipsum origine Iudaeum ac Palaestinensem.

Recenter scripsimus opusculum « De Natura et Extensione Inspirationis Biblicae... » Secundum S. Thomae doctrinam et verba, diximus lumine divino haud necessario *species* novas hagiographi menti infundi, sed eiusdem *iudicium* ad divinam certitudinem elevari. De quonam iudicio loquitur Angelicus? De practico tantum: *quia scribenda sunt;* an de ipso speculativo iudicio: *quia vera sunt?* Hanc quaestionem in appendice examinabimus.

BIBLIOGRAPHIA.

Nullus liber totius S. Scripturae tot ac tam egregios interpretes habuit ac quartum Evangelium; ipsa eius altitudo theologica allexit mentes et corda. At ubi sunt fervidi admiratores, mox apparebunt non minus strenui adversarii; quod et hic accidit praecipue diebus nostris. Reiecta enim apostolica origine huius evangelii, devenerunt ad negandam historicitatem factorum ac sermonum, omnia symbolice explicantes; quinimmo ipsum supernaturalem originem eiusdem doctrinae denegarunt, illam considerantes ceu spontaneam evolutionem philosophiae graeco-alexandrinae. Haec quaestio relate ad ioanneum *Logon* infra, in speciali excursu, examinabitur; ibidemque inter annotationes specialis bibliographia invenietur.

Hic tantum citamus *commentarios* quos semper prae manu habemus. Infra occurrentia nomina — nullo addito — referuntur ad opera sequentia.

— **Graeci interpretes.**

Heracleonis fragmenta in S. Joannem (PG. VII). — Origenes (*ibid.* XIV). — S. Joannes Chrys. (LIX). — Nonnus Panopolitanus, poetica paraphrasis (XLIII). — Theodorus Mopsuestenus (textus syriacus primum latine versus, una cum reliquis fragmentis graecis, mox edetur in *Patrologia Orientali*). — S. Cyrillus Alex. (LXXIII — LXXIV) — Ammonius (LXXXV). — Theophylactus (CXXIII) et Euthymius Zigabenus (CXXIX) contrahunt, optime sane, homelias aurei atque diserti oratoris, Joannis Chrysostomi. — Catenae graecae B. Corderii (Antverpiae 1630) et J. A. Cramer (Oxonii 1844).

— **Latini commentatores.**

S. Augustinus, Tractatus 124 in Joannem (PL. XXXV); hoc est absque dubio pulcherrimum et altissimum opus, quod unquam circa quartum evangelium exaratum sit; attamen, notante cl. *Cornely*, (*Introd.* I. p. 660) « theologi dogmatici aut concionatoris potius partes agit, quam interpretis. » — S Hieronymus in prologum I, 1-14 (*Anecdota maredsolana*, III, 2, p. 386-392). — S. Ven. Beda tractatus s. Augustini in breviorem formam, more suo, redegit (PL. XCII). At forsan hoc opus est Alcuini (cfr. *Cornely, op. cit. III*, 306 n 7).

— Rupertus (*ibid.* CLXIX). — B. Albertus Magnus. — S. Thomas Aquinas. — S. Bonaventura. — Caietanus. — Toletus. — Maldonatus. (ed. Raich, 1874) facile princeps interpretum evangeliorum; mira est eruditio patristica et doctrina theologica, magis adhuc miranda obiectivi criterii securitas et independentia. — Calmetus. — Cornelius Jansenius Gandavensis.

— **Recentiores expositores** (asterisco * indicantur auctores acatholici).

J. Godet * (1864-1865; ed. 4 1902). — I. Corluy (1880). — P. Schanz (1885). — I. Knabenbauer (1898; ed. 2, 1906). — B. Weiss * (1902). — J. Réville * (ed. 2, 1902). — A. Loisy * (1903; — opus brevius atque peius 1921). — Th. Calmes (1904). – I. Belser (1905). — B. J. Westcott * (utimur editione magna 1908). — H. I. Holtzmann * (3 Aufl. besorgt von *W. Bauer*, 1908). — M. Sales 1911). — Th. Zahn * (3-4 Aufl. 1912). — W. Bauer * (2 Aufl. 1925). — A. Plummer * (1913). — Fr. Tillmann (1921). — I. Huby (1922). — Jam annuntiatur edendus commentarius clar. P. M. - J. Lagrange, qui ita compleverit expositionem quattuor Evangeliorum, quam *R. P. L. de Grandmaison S. J.* vocavit « *cet ensemble monumental* ». Idem egregius auctor, concludendo recensionem Commentarii *in Matthaeum*, scripsit « Tel qu'il est, ce commentaire continue dignement un ouvrage dont l'achèvement marquera une date dans l'exégèse catholique, et dont elle peut être déjà justement fière. » (*Études* 175 (1923, II) p. 497, 499).

— **Specialia studia in Prologum.**

I Corluy, praeter eius commentarium, brevem quidem at theologica doctrina refertum, cfr. *Spicilegium dogmatico-biblicum*, I, p. 138-155, et II, 51–64. — A. Harnack, * *Ueber das Verhältniss des Prologs des vierten Evangeliums zum ganzen Werk* (Zeitschrift für Theologie und Kirche II (1892) p. 189-231). — A. Resch, * *Aussercanonische Paralleltexte zu den Evangelien;* 4 Heft: *Parall. zu Johannes. Das Kindheitsevangelium* (Texte und Untersuch. Bd X, 3 Teil. 1896-1897). — A. Loisy, * *Le Prologue du quatrième évangile*; (primo in: Revue d'histoire et de littérature religieuse 1897; deinde in citato commentario 1903). — W. Baldensperger, * *Der Prolog des vierten Evangeliums. Sein polemisch-apologetischer Zweck* (1898; cf. RB. 1899, p. 151 sq.). — K. Weiss, *Der Prolog des h. Johannes. Eine Apologie in Antithesen* (Strassburger Theol. Studien; Bd III, 2 u. 3 Heft; 1899). — Th Calmes, *Étude sur le prologue du quatrième Èvangile;* (primo in R B. 1900 et 1901; deinde in commentario 1904). — A. Van Hoonacker, *Le Prologue du quatrième Évangile* (R. d'Hist. Ecclés, 1901, p. 5-14). — J. Grill, * *Untersuchungen über die Entstehung des vierten Evangeliums* (1902). — *Das Mysterienevangelium des hellenisierten kleinasiatischen Christentums* (1923). — I. Belser, *Der Prolog des Iohannes evangeliums* (Theol. Quartalschrift, 1903, p. 483-519). — J. Lebreton, *Les Origines du Dogme de la Trinité* (ed. 3, 1910). — A. Cellini, *Considerazioni esegetico-dommatiche sul Prologo dell'Evangelo secondo Giovanni* (I, 1-14) (1911). — R. Harris, * *The origin of the Prologue of St John's Gospel* (Expositor, s. VIII, vol. 12 (1916) p. 147-160; 314-320; 415-426). — A. Médebielle (*Prologi brevis expositio*) (Verbum Domini, II (1922) p. 3-9; 38-42; 137-144).

COMMENTARIUS

> Recte dixeris Joannis procemium clavem et quoddam continere totius Theologiae fundamentum; quod, ceterum, rationem reddit summae illius venerationis qua semper apud christianos habitum est.
> H. Simón, C. SS. R (1).

Omnes admirati sunt et admirantur litterariam simplicitatem simul atque incomparabilem subtilitatem ac sublimitatem huius prologi: mirabilis est maiestas primorum verborum. Evangelium « filii tonitrui » exorditur ac statim illuminatur fulgure; ita *A. Plummer* (2).

Dum Matthaeus et Lucas evangelicam narrationem incipiunt a Christi nativitate, Marcus vero ab eius publico ministerio, et ita « *tamquam cum homine Domino in terra ambulant* »; Ioannes e contra, aquilae merito comparatus, statim erigit se et elevatur supra creaturas ac tempora, contemplans Iesum ut Verbum in sua aeterna praeexistentia; ac sereno librans se inter caelum et terram describit Verbi influxum in universa creata, in specie erga homines, inde a principio et per saecula usque ad Incarnationem...

Non tantum subiecti altitudo, sed et litteraria forma, immanens etiam phraseon vis atque rhythmica evolutio huic theologicae contemplationi speciem tribuunt hymni altissimi, — in quo tamen plura sunt difficillima intellectu (3). Tam alta enim et fecunda est vocum suppositio, ut sensim sine sensu quandoque vox eadem fluat ab una acceptione ad aliam; contemplantis ingenium simul plura mysteria complectitur, at ubi transeat ab uno ad aliud certo definiri nequit — neque, forsan, oportet (4).

Ideo alii aliter hunc prologum dividunt. Generale quidem eius obiectum sat distincte apparet: non tam agitur de Verbo in se, ac de Verbo prout est vita et lux hominum. Iamvero apparet Iesus per totum Evangelium quartum atque revelatur tam-

quam salutis nostrae auctor, in quem credamus oportet ut vitam habeamus aeternam. Quo sensu hic prologus — compendium fidei christianae — tamquam anticipatio considerari potest totius evangelii pneumatici (5).

Ipsa sententiarum tam litteraria ac logica connexio atque evolutio hanc tripartitam divisionem innuit: Verbum in se (v. 1-5); ingreditur in mundum tamquam lux illuminans omnes (v. 6-13); incarnatum largitur nobis gratiam et veritatem (v. 14-18). Ita, inter alios, *B. Weiss, Plummer, Loisy, Holtzmann, Crampon, Sales, Tillmann;* ceteris opinionibus omissis.

I. — Verbum in se (v. 1-5):
- 1. relate ad Deum (1-2);
- 2. relate ad creata universa (3);
- 3. in specie relate ad homines (4-5).

II. — Verbi ingressus in mundum (v. 6-13):
- 1. Missio Ioannis Præcursoris (6-8).
- 2. Præsens reicitur Lux a mundo (9-11).
- 3. Recipientibus se confert filiationem divinam (12-13).

III. — Verbi Incarnati revelatio (v. 14-18):
- 1. Verbum Incarnatum plenum gratiæ et veritatis (14).
- 2. Ioannis Baptistae testimonium (15).
- 3. Testimonium Evangelistae (16-18).

I. — Verbum in se (1-5):

— 1 — *Verbum relate ad Deum,* 1-2.

1. In principio erat Verbum,
et Verbum erat apud Deum,
et Deus erat Verbum.
2. Hoc erat in principio apud Deum.

Annotationes generales.

1. *Stilus.* — Haec prima periodus est typicum exemplar stili ioannei symmetrici, paratactici simul et ascendentis: concisis sententiis, pluries eodem verbo repetito, progreditur ad altiora.

Tres sententiae, quibus versus primus constat, connectuntur simplici copula *et;* ita tamen ut in qua voce praecedens

propositio desinit, ab illa sequens incipiat (comp. v. 4-5); atque in versu secundo omnia verba in una sententia comprehenduntur.

Subiectum unicum *Verbum* ter repetitur, cum ter repetito verbo substantivo *erat,* quod ter formalem sensum diversum implicat. Huic triplici *erat,* de Verbo dicto atque aeternitatem et divinitatem eiusdem connotanti, opponitur in v. 3 ter repetitum verbum *factum est* de creaturis dictum. Tanta est differentia inter Verbum, Deum aeternum omnipotentem, et creaturas e nihilo factas.

2. *Doctrina.* — Tres illae sententiae versus primi describunt Verbum quoad *existentiam,* quoad *modum existendi* et quoad *ipsam essentiam:* α) erat in principio, en *aeternitas* Verbi; β) erat apud Deum, en distinctio seu *personalitas* Verbi; γ) et Deus erat Verbum, en eiusdem consubstantialitas cum Deo-Patre seu *divinitas.* — Ideoque verbum *erat* formaliter significat primo *existere,* secundo *habitare,* tertio demum *esse substantive.*

Eaedem tres sententiae « Verbum in se » describentes, correspondent triplici aspectui Incarnationis v. 14 describendae: α) qui in principio erat, *factus est* in tempore; β) qui erat apud Deum, habitavit *inter nos;* γ) qui Deus erat, *caro* factus est.

3. Notandus est manifestus parallelismus huius evangelici exordii comparate ad exordium revelationis mosaicae seu Geneseos I, 1-3; utrobique: *in principio, creatio, oppositio inter lucem et tenebras.* At dum in Genesi subiectum activum ac dominans est Elohim; heic apud Ioannem est Logos. Evangelista ergo, narraturus opus Christi Verbi-Incarnati, intendit Verbo-Deo tribuere quidquid ibi tribuitur Elohim.

Hoc exordium evangelicum atque culmen revera est fastigium totius revelationis.

1. — In principio.... — Eodem verbo incipit narratio creationis in Genesi: *in principio (berêshith) creavit* etc. Ex contextu vero inquirendum est de quonam principio agatur hic et ibi.

1. — In Gen. I, 1 *principium* fit atque determinatur rerum creatione; hic vero est principium in quo aeternaliter est... erat Verbum, principium transcendens, praecedens ipsa aeternitate res creatas. — Ibi est principium temporale rerum creatarum; hic vero principium absolutum aeternitatis, principium ante omne principium, principium quod est ipsa aeternitas divinae existentiae, prout v. 2 repetitur: « Hoc erat *in principio apud Deum* ».

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Ita commentatores graeci, ut *Chrys.* et *Theophyl.*, nullus autem magis *Theodoro Mops.* in eo immoratur; item *S. Thomas, Plummer* etc.

2. — Recentiores vero auctores plerique, inde a clar. *Maldonato,* mere litterariam similitudinem cum Gen. I, 1 exaggerantes, censent « Ioannem ad hunc locum per antithesim quamdam allusisse, quasi diceret: In illo principio rerum omnium, quo Deus creavit caelum et terram, Verbum creatum non est, quia iam erat ». *Mald.* Ita etiam *Knab., B. Weiss, Tillmann* et alii. — At non dicitur: In principio creationis seu « cum res fieri coeptae sint », iam erat Verbum. Haec relatio ad res creatas minime exprimitur neque textui est imponenda; immo subaudita hac relatione minuitur sensus transcendens ioanneae sententiae. Est ergo affirmatio aeternae divinae existentiae (sicut in v. 2: *in principio apud Deum*), minime autem merae praeexistentiae (sicut Ioan. XVII, 5).

« Per hoc enim quod dicitur: *In principio erat Verbum,* ita *Angelicus,* ostenditur quod quodcumque principium durationis accipiatur, sive rerum temporalium, quod est tempus, sive aeviternarum, quod est aevum, sive totius mundi, sive quodcumque imaginatum extensum per multa saecula, in illo principio iam erat Verbum. Unde Hilarius dicit: « Transeuntur tempora, transeuntur saecula, tolluntur aetates. Pone aliquid quod voles tuae opinionis principium; *Verbum iam erat,* unde tractatur ». Et hoc est quod dicitur Prov. VIII, 22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Quod autem est ante durationis principium est aeternum ».

Affirmata aeterna existentia divina, sequitur, ut patet, praeexistentia comparate ad res creatas; ita et posita praeexistentia hac, concluditur ad aeternitatem quae soli Deo convenit.

3. — *Principium* est ergo sumendum in sensu durationis.. absque inceptione neque successione, non est principium temporale sed absolutum: *in principio erat,* i. e. *in aeternitate erat.*

Contextu ipso probatur, « principium » non esse Deum, neque Patrem; nec Filium Dei aut sapientiam, prout varii olim variis modis excogitarunt. *S. Thomas* autem, « vir modestissimus » *(Mald.),* has omnes opiniones veritati accommodat.

erat... — Quam aptum sit hoc imperfectum ad aeternitatem exprimendam acute ostendit *Angelicus Doctor:* « Considerandum

est etiam hic, quod dicitur *Verbum erat*, quod est temporis praeteriti imperfecti, et hoc maxime videtur competere ad designandum aeterna, si attendamus naturam temporis et eorum quae sunt in tempore. Quod futurum est, nondum est in actu; praesens autem actu est, et per hoc quod est actu praesens, non designatur fuisse; praeteritum autem perfectum designat aliquid extitisse, et esse iam determinatum, et iam defuisse; sed *praeteritum imperfectum significat aliquid fuisse, et non esse adhuc determinatum, nec defuisse, sed adhuc remanere*: ideo signanter Ioannes ubicumque ponit aliquid aeternum, dicit *erat;* ubi vero dicit aliquid temporale, dicit, *fuit,* ut infra patebit ».

Non dicitur ergo, ut v. 3 quando de creatione agitur, neque ut v. 14 ubi de Incarnatione: *factum est.* Aliquid dicitur *fieri,* quando a non-esse transit ad esse sive accidentale, sive substantiale; *esse* vero dicit existentiam absolute. — « Verbum » ergo non *factum est,* sed *erat;* numquam factum est, sed *in principio,* i. e. in aeterno erat. Excluditur ideo quaevis realis aut idealis periodus in qua non fuisset (contra Arianos). Eius generatio « Unigeniti a Patre » (v. 14) removetur ante quodvis tempus, aeternaliter coexistit cum Patre, et quidem consubstantialiter, ut mox, v. 1^3, dicetur. Quo sensu scribit Apostolus: « Qui est imago Dei invisibilis, πρωτότοκος πάσης κτίσεως i. e. genitus prius omni creatura », — minime vero, primus creaturarum (Col. I, 15). Comp. Apoc. I, 8.

Verbum: ὁ λόγος. — Evangelista hanc vocem scribit, nulla addita explicatione; de « Verbo » loquitur tamquam de conceptu lectoribus suis noto ac familiari. Ergo in praedicatione seu catechesi orali ipse hac voce utebatur, doctrinam hanc altissimam tradebat.

Primus Ioannes hac voce utitur, quater in hoc prologo (ter in v. 1, et semel v. 14), in reliqua Evangelii parte numquam; — semel adhuc in Apoc. XIX, 13; secundum plerosque, eodem sensu, I Ioan. I, 1, — cui compar Hebr. IV, 12. Confer excursum specialem de « Verbo ».

Numquam occurrit talis usus in sermonibus Domini, nequidem in quarto evangelio — unde mirare Ioannis fidelitatem in referendis verbis Iesu; numquam legitur apud Synopticos nec apud Paulum. Est ideo, inter scriptores N. T., Ioanni haec vox propria. Dicimus *vocem* Ioanni esse propriam, minime vero rem

seu doctrinam; haec enim sola revelatione haberi potuit, et iam invenitur apud Paulum et Synopticos. — Undenam vero vocem illam mutuaverit, investigabimus in speciali excursu.

et Verbum erat, — modo sollemni haec repetit Ioannes, ut cum emphasi adiciat Verbum esse: *apud Deum:* πρὸς τὸν θεόν. — Ergo Verbum, cohabitans apud Deum, propriam personalitatem habet distinctam a *Deo*, qui hoc loco designat *Patrem*, legitur enim τὸν θεόν cum articulo. — Similiter notandum est graece accusativum motus πρὸς τὸν θεόν, quo non tantum localis et iners iuxtapositio (παρά τινι) significatur, sed vivens relatio atque activa inter Deum-Patrem et Verbum; prout scribit *Calmes*: « La plus simple explication de cette parole de Jean ressort de Gen. I, 26: *Faisons* l'homme à *notre* image et selon *notre* ressemblance. C'est à ce conseil intime, dans les profondeurs de l'être divin, que fait allusion cette seconde thèse de l'apôtre, comme la première se rapportait à Gen. I, 1. » Item *B. Weiss, Westcott, Zahn* etc.

et Deus erat Verbum: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. — Haec est suprema affirmatio, unde cum emphasi praeponitur θεός, praedicatum, ut tota vis affirmationis feratur in divinitatem Verbi, — ita etiam perfectior rhythmus habetur, prout supra notavimus. Legitur θεός sine articulo tamquam praedicatum; indicatur ergo divina natura Verbi, qualis est (essentialiter) ὁ λόγος, non quis est. Si quis vero intelligeret: *Deum* (subjectum) esse Verbum, ita ut Verbum sonet tamquam mere synonymum Dei, caderet in Monarchianam haeresim quae ducit ad Sabellianismum et Patripassianismum.

Hac tripartita initiali periodo — simplicissima quoad formam — enuntiavit Ioannes altissima quae de Verbo dici possint: 1) est aeternum, 2) distinctam a Patre personalitatem habens, 3) eidem tamen consubstantiale in natura divina.

Ad tantam celsitudinem cum pervenit, quiescit paulisper Aquila, priusquam ad alia tendat: versus *secundus*, brevi phrasi riepilogando praecedentia, indicat pausam; ita egregie *Tillmann:* « V. 2 bildet einen Ruhe-und Haltepunkt. Es ist, als raste der Adler eine kurze Weile, ehe er zu neuem Flug die Schwingen hebt. »

2. — *Hoc erat in principio apud Deum.* — Conclusio et tamquam echo praecedentium, tria in unum connectens.

— οὗτος: *hoc* referendum ad unicum subiectum λόγος: *Verbum*. Ita frequenter apud Joan. resumentem praevia, ponitur cum emphasi demonstrativum pronomen in capite sententiae, ut tota legentis attentio vivide in subiectum feratur, comp. infra v. 7; III, 2; VI, 46; VII, 18 etc. Stilus sereno contemplantis immanenti vi provehitur et alte penetrat in animas: haec est insuperabilis veritatis virtus.

Ex hoc versu nobis manifestum fit *in principio* non designare initium rerum creatarum, sed aeternitatem, est enim in principio *apud Deum*.

— 2 — *Verbum relate ad creata*, 3.

3. Omnia per ipsum facta sunt:
et sine ipso factum est
nihil quod factum est.

Ab aeterna Verbi existentia et intima natura vertit Evangelista mentem ad creata:

3. — *Omnia per ipsum facta sunt*. — *Omnia*: πάντα, omnia praeter ipsum Deum, quaecumque esse receperunt. Sine articulo; omnia ergo creata non considerantur ut unum τὰ πάντα, i. e *universus* seu mundus (sicut ὁ κόσμος infra v. 9 et 10) sed divisim, singillatim, ut eo clarior effulgeat actio Verbi, universalis eius influxus.

per ipsum: δι' αὐτοῦ, non tamquam per subordinatum instrumentum (ὑπό), sed tamquam per agentem mediatorem quem iam scimus (ex v. 1) esse aeternum et consubstantialem Patri. Nam « Deus, scribit Angelicus, nihil facit nisi per conceptum sui intellectus, qui est sapientia ab aeterno concepta, scilicet Dei Verbum, et Dei Filius: et ideo impossibile est quod aliquid faciat nisi per Filium. »

Sedulo comparandi sunt textus paulini, eamdem doctrinam enuntiantes, scil. Rom. XI, 36; Col. I, 15-17; Hebr. I, 2-3 et II, 10; praecipue I Cor. VIII, 6: « Nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia (ἐξ οὗ τὰ πάντα), et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia (δι' οὗ τὰ πάντα) et nos per ipsum. » Ex his textibus vero apparet, etiam *pro ipso*, Verbo Deo, omnia facta esse, ita ut finis ultimus correspondeat primo principio; cfr. praecipue Col. I, 16: « omnia per ipsum et in ipsum (δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτόν) creata sunt »; item Hebr. II, 10:

« propter quem omnia et per quem omnia, δι' ὃν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα ».

facta sunt: ἐγένετο, ergo prius non erant, ex nihilo facta sunt (*ter* in hoc versu, cfr. v. 10); — dum e contra Verbum *erat* in principio etc. (v. 1 *ter*).

et sine ipso factum est nihil quod factum est. — Iterum, sicut in v. 2, rhythmica repetitio, hic per negationem, ad augendam vim affirmationis, iuxta parallelismum antitheticum frequentem in poesi hebraica: « One of many instances of the Hebrew cast of John's style, » notat *Plummer.*

nihil: οὐδὲ ἕν id est: *ne unum quidem,* — fortius quam οὐδέν. Ergo nihil omnino existit, neque - servatis servandis - contingit, quod non sit per Ipsum. Inde adorandum Dei vestigium in natura sublimi terrestri ac coelesti. « Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipsum sunt omnia: ipsi gloria in saecula! » Rom. XI, 36.

> Guardando nel suo Figlio con l'Amore,
> Che l'uno e l'altro eternalmente spira,
> Lo primo ed ineffabile Valore,
>
> Quanto per mente o per occhio si gira
> Con tanto ordine fe, ch'esser non puote
> Senza gustar di lui chi ciò rimira
>
> DANTE, *Parad,* X, 1-6.

quod factum est — **4** — (*in ipso vita erat*) ὃ γέγονεν:

Dubium est cum quoniam connectendum sit ὃ γέγονεν *quod factum est.* (Cfr. specialem excursum apud *Westcott,* p. 59-64, apud *Zahn* p. 706-709, vel apud *Lebreton, op. cit.* p. 511-514).

I. — Secundum alios **cum sequentibus**. Haec foret antiquius (inter haereticos tamen!) comprobata lectio, cui favent inter alios *S. Aug., S. Thomas;* et e modernis *Westcott, Loisy, Calmes* (qui hanc lectionem vocat: *presque certaine*), *von Soden, Vogels,* item critica editio Vulgatae curā *Wordsworth-White,* (hanc versionem exhibet etiam liturgia Ord. Praed.).

Talis vero lectio in duplici interpunctione occurrit, — et ideo plures patitur interpretationes.

α) Varii haeretici, (6) inter quos Ariani et Pneumatomachi, posita virgula post *in ipso,* sic legebant: *quod factum est in ipso* (scil. *Verbo*), *vita erat,* — ita ut aliquid Verbi, aut in Verbo (v. gr. Spiritus!) foret factum. Patres autem iam observarunt,

talem interpunctionem et interpretationem contradicere contextui, declaranti Verbum esse Deum; ergo agitur de iis, quae extra Verbum et extra Deum facta sunt.

— Alii autem post *factum est*, supponunt virgulam: *quod factum est, in ipso vita erat.* Sed tunc *in ipso* refertur vel *ad Verbum* (β), vel ad *id quod factum est* (γ).

β) Si *in ipso* refertur ad Verbum, habetur exemplarismus divinus platonico-augustinianus: antequam res forent in se, iam in Verbo tamquam in mente artificis, erant ceu divinae ideae. Ita praecipue *Augustinus* et *Thomas.* « Pulchra sane et mirabilis doctrina, notat optime *P. Simón* (7), sed a contextu aliena videtur ». Re quidem vera, sicut non iam Logos in se consideratur, sed creatus universus, ita neque considerantur hic res *priusquam* essent, sed *postquam* iam factae sunt.

γ) Si autem *in ipso* refertur ad ὃ γέγονεν tribuitur *vita* creatis; sic: « Ce qui était devenu, *en cela* était vie », ita recenter *A Loisy* (8), quem approbat clar. *Van Hoonacker.* In hac interpretatione, prout proponitur a *Loisy,* ὃ γέγονεν est mundus creatus, in particulari genus humanum; vita autem foret Verbum incarnatum, quod mox etiam lux dicetur.

At *1*) hic nondum agitur de opere Verbi Incarnati, nam nondum advenit Praecursor, v. 6; — *2*) *in ipso* a priori videtur referendum ad totius huius pericopae *unicum* subiectum, quod est Verbum; — *3*) ὃ γέγονεν est improbabilis forma, ne dicam impossibilis forma subiecti: et adhuc magis improbabilis designatio generis humani; — *4*) similiter ζωή sine articulo non diceretur de Verbo Incarnato; — *5*) demum imperfectum ἦν non designaret determinatum factum Verbi adventus in mundum..

Ergo si « *quod factum est* » ad sequentia refertur, nullus conveniens obtinetur sensus.

II. — δ) Quare, omnibus attente consideratis, magis arridet lectio « *quod factum est* » referens **ad praecedentia**: *et sine ipso factum est ne unum quidem eorum quae facta sunt.* Ita commentatores graeci post *S. Ioannem Chrys.; S. Hier., Vg. SClem;* et plerique moderni inter quos *Godet, Nestle, Resch, Knabenbauer. B. Weiss, Holtzmann, Zahn, Lebreton, Tillmann, Lagrange.*

Non pleonastice quidem hoc sonat, — prout obiciunt, — sed potius emphatice ad finem generalis sententiae, atque rhythmice

(secundum stilum huius sollemnis prologi) ut quasi in echo terminetur affirmatio universalis creationis per Verbum.

ε) Demum uno verbo notetur singularis lectio, semel aut bis apud *Epiphanium* occurrens (*Ancor.*, 75), quae cum ὅ γέγονεν iungit ἐν αὐτῷ (*punctum!*) — Ἐν αὐτῷ vero intelligendum foret pro « *per ipsum* »; sed, prout observat *Mopsuestenus*, haec foret ridicula tautologia: *sine ipso* factum est nihil, quod factum est *per ipsum*.

— 3 — *Verbum vita et lux hominum*, 4-5.

4\. In ipso vita erat,
et vita erat lux hominum:
5\. et lux in tenebris lucet,
et tenebrae eam non comprehenderunt.

Admissa ergo interpunctione Vulgatae SClem., sic prosequitur oratio, — absque nexu cum praeviis (*asyndeton*) sicut v. 3, transeundo ergo ad alia:

4\. — *In ipso* (Verbo) *vita erat* etc. — Iterum quattuor sententiae, — quibus v. 4 et 5 constant, simplici copula *et* ligatae, — ita connectuntur, ut ultima vox sententiae praecedentis fiat prima sequentis. « Solent Hebraei ea figura delectari, qua finis praecedentis membri initium sequentis est », notat apposite *Maldonatus*.

Ut clare sensus huius difficillimi versus in contexta oratione determinetur, sequentia statim notentur: α) *vita* et *lux* quoad homines realiter identificantur: quae *in Verbo est vita*, ea ipsa est *lux hominum*; — β) haec autem vita, fontaliter in Verbo, tamquam lux emittitur in homines: est *lux hominum* quae *in tenebris lucet*; — γ) *pugna* supponitur inter hanc lucem Verbi et tenebras seu homines tenebrosos...

Utraque autem vox « *vita* et *lux* » coniungitur, quia, sicut more hominum, *mors* concipitur ut nox tenebrosa, ita et *vita* consideratur tanquam dies et lux.

At — en controversa causa! — de quanam agitur vita et luce? Quonam instanti consideratur heic Verbi influxus? Ambae quaestiones inter se sunt connexae.

1. — Ageretur de vita in generali omnium viventium, et de naturali luce rationi humanae insita? Ita Graeci, inter quos eminet h. l. *Theodorus Mops.*, item recenter clar. *Van Hoonacker.*

A creatione universali omnium descenderet Evangelista ad viventia, deinde ad nobiliora entia seu viventia ratione praedita. Consideraretur ergo *creativus* Verbi influxus, in specie quoad viventia et quoad homines...

2. — At sicut *tenebrae* (in quibus haec lux lucet) sunt tenebrae morales, scil. homines tenebrosi peccato dediti, — quod v. 5 est manifestum; ita et *lux* oportet spiritualis sit et moralis; ita etiam et *vita* oportet ethice — spiritualis intellegatur. Et sicut homines peccato dediti — iam ante Incarnationem — erant caeci et obtenebrati *(sine luce)*, ita etiam erant mortui *(sine vita)*. Verbum erat, in se et quocumque effuso dono, haec spiritualis moralis vita et lux hominibus. Ita iam clar. *Maldonatus*, et plerique moderni qui modaliter tantum in se differunt, quatenus aut restringunt aut latius extendunt sensum *vitae* et *lucis*, quae tamen ab omnibus *ethicae* intelleguntur.

Ergo consideratur Verbi influxus in homines sub aspectu morali, et quidem iam, vel melius, etiam ante Incarnationem, quamdiu homines, luce indigentes ac vita, caeci erant et mortui. Numquam defuit eis Verbi lux, sive Dei lege cordi eorum naturaliter insculpta, sive voluntate Dei per Moysem et Prophetas eis communicata: at tenebrae remanserunt tenebrae (Rom. I, 18-III, 20). Inde apparet necessitas Incarnationis atque properamus ad eam...

Incarnatum Verbum, Iesus, erit vita et lux hominum, prout iam erat per saecula: hae notiones spiritualis lucis et vitae revera sunt characteristicae quarti Evangelii. Quoties enim dicitur credens in Iesum *vitam* habere? Idem Iesus confert vitam novam (III), largitur aquam vivam (IV), est panis vivus (VI) etc. Ego sum lux mundi (VIII, 12). Ego sum via et veritas et vita (XIV, 6) Cfr. *J.-B. Frey: Le concept de « Vie » dans St Jean (Biblica* I (1920) pp. 38-58; 213-239).

hominum. — Non tantum Iudaeorum, sed omnium hominum. Notetur haec generalis expressio indicans, etiam lucem esse intellegendam modo generali de quovis principio spiritualis — ethicae vitae.

5. — *et lux in tenebris lucet:* ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει. — Usus vocis σκοτία est in N. T. Ioanni fere proprius *(in Ev.* novies, *I Ioan.* sexies); dum e contra ceteri praeferunt σκότος — quod semel tantum in ev. Ioan. (III, 19) occurrit, et I Ioan. I. 6.

Evangelium quartum et I ep. Ioan. quoad stilum ergo conveniunt..

Sedulo notentur oppositae voces *lux* et *tenebrae*, — oppositae, ut patet, sub eodem aspectu morali: tenebrae designant caecitatem moralem, seu abstracte cumulum peccatorum inde a peccato originali eoque incluso.

lucet φαίνει, haec est propria actio lucis in se sumptae, quae extingui nequit malitia hominum. Distinguitur vero ab *illuminare* φωτίζειν (v. 9); hoc enim dicit ordinem ad homines, qui a luce illuminanti possunt se avertere ne illuminentur. — Notetur *tempus praesens*: divinae lucis actio est continua et perpetua ex se, numquam extinguenda; lux Verbi etiam Evangelistae tempore, sicut iam per saecula praeterita, et ita per futura tempora lucet atque lucebit.

et tenebrae eam non comprehenderunt. — Hic vox *tenebrae* designat ipsos *homines* tenebris peccatorum obvoluti; habetur ergo transitus a sensu abstracto ad concretum, comp. v. 10 (cf. annot. 4 in appendice)

non comprehenderunt: οὐ κατέλαβεν. — Duplex interpretatio fuit proposita, una minus peiorativa altera ac revera ducens ad eam:

- α) *non receperunt*; ita Vulgata, si verbum « *comprehendere* » tamen hic sumendum sit, - prout vulgo fit –, in sensu « *apprehendendi mente* » seu « intellegendi ». Huic interpretationi favent v. 10-11 et sententia similis III, 19. Ita adhuc *Knab.*, *Calmes*, *Tillmann*, ac versiones *Crampon* et *Sales*.
- β) *non superarunt, non detinuerunt, non suffocarunt;* ita Graeci Patres omnes, boni iudices in hac re; ita plerique moderni, v. gr. *B. Weiss*, *Loisy*, *Van Hoonacker*, *Zahn*, *Westcott*, *Lebreton* etc..

1. — *Usus verbi*: καταλαμβάνω. — Alibi apud Ioannem adhibetur hoc verbum in sensu *deprehendendi*, sic VI, 17 (secundum *Tat.*, *Sin.* et cod. *Bezae*); VIII, 3-4 de muliere adultera; XII, 35 (comp. I Thess. V. 4). Si hic sensus applicatur luci comparate ad tenebras.. *morales*, tunc revera habemus sensum *superandi, suffocandi*: si tenebrae vi aut dolo deprehendant lucem, superant ac suffocarent eam...

Hic est nostri loci sensus probabilior, continens alterum;

sic ergo: *et tenebrae non receperunt lucem, immo tentarunt opprimere eam, sed non valuerunt:* καὶ γάρ ἐστιν ἀκαταγώνιστον, explicat *Chrysost.*, *est enim inexpugnabilis* ».

2. — *Interpretatio.* Pugna seu antagonismus semper exstitit atque existet, in ordine morali, inter tenebras et lucem. Qui in tenebris sunt, illuminari nolunt, immo lucem oderunt; attamen non cessat lux divina emittere vivificos radios suos in mundum. Paradoxon huius phraseos est evidens: lux non expellit tenebras, neque tenebrae superant lucem; lux et tenebrae, in ordine morali, simul coexistunt inter homines, ita egregie cl. *Westcott:* « The whole phrase is indeed a startling paradox. The light does not banish the darkness: the darkness does not overpower the light. Light and darkness coexist in the world side by side » (*Op. cit.* ad h. l. p. 10).

Haec est revera generalis interpretatio Graecorum. Ita v. gr., vestigia premens *Chrysostomi*, *Theophylactus*: « Invictum est enim lumen hoc, Deus Verbum, inquam. Et tenebrae, adversaria inquam potestas, tentarunt quidem et persecutae sunt lumen, sed invictum et infatigabile offenderunt ».

3. — *Versio* autem *latina* « non comprehenderunt » videtur etiam, iuxta stilum S. Hieronymi, intellegenda adversative: « non deprehenderunt vi, non detinuerunt., tamquam vinculis ». Cfr. latinum textum Matth. IV, 24; XXVI, 55; Mc. XIV, 48; Luc. XXII, 54; Ioan XII, 35; XVIII, 12. — Interpretatio ergo vulgata: « *non comprehenderunt mente, non receperunt* » videtur derelinquenda: α) utpote contraria usui tum Ioannis ac Hieronymi; β) minus bene quadrat cum stilo figurato: nam tenebrae, *qua tenebrae*, non possunt nec recipere nec intellegere lucem, — secus tenebrae iam non forent tenebrae.

De cetero historica Verbi manifestatio in carne hic nondum expresse adumbratur, sed exhibetur perpetuus habitus inter Verbum — Lucem et genus humanum (contra *Calmes*). Hinc, prout iam diximus, apparet necessitas Incarnationis atque accedimus ad eam: cum statim appareat Praecursor nuntians Christum venturum, immo indicans eum iam praesentem.

II. — Verbi ingressus in mundum (6-13).

— 1 — *Missio Ioannis Praecursoris*, 6-8.

6 Fuit homo,
missus a Deo,
cui nomen erat Ioannes.
7 Hic venit in testimonium,
ut testimonium perhiberet de lumine,
ut omnes crederent per illum;
8 non erat ille lux,
sed ut testimonium perhiberet de lumine

Ex parte Verbi atque abstracte consideravit Evangelista hucusque Verbi influxum in homines. Nunc ostendit quomodo historice in hunc mundum venerit et a mundo receptus fuerit: protrahitur quidem figura Lucis (7-9), huic tamen personalis praesentia in mundo tribuetur (10-11), immo et collatio filiationis divinae (12-13); haec personalis Lux est Verbum Incarnatum, Christus Salvator.

Accedendo autem ad historicum Lucis adventum in mundum, sponte et manifeste decrescit hymni sublimis motus atque doctrinae altitudo, quin tamen omnino desit rhythmica modulatio, tam egregie pervadens totum quartum evangelium.

6. — ***Fuit homo:*** ἐγένετο ἄνθρωπος — Notetur iterum asyndeton, transit ergo Evangelista ad aliud obiectum: ad historicam scil. manifestationem Verbi nuntiatam et praeparatam a Baptista. Sicut apud Synopticos ergo, ita in quarto Evangelio ministerio Praecursoris introducitur ministerium Christi.

ἐγένετο: *fuit*, non est tamquam una notio iungendum huic: ἀπεσταλμένος *missus*, ac si legeretur ἀπεστάλη *missus est* (*Chrys.*). Heic ἐγένετο, sicut Mc. I, 4 et Luc. I, 5, significat: *exstitit, apparuit*. Modo omnino generali designatur qui apparuit: ἄνθρωπος, homo sicut ceteri homines; « dictio haec, notat bene *P. Knabenbauer*, habet aliquid sollemnitatis et gravitatis quae prologo plane congruit ».

Ille homo, qui apparuit, ***missus*** erat *a* ***Deo***, tamquam Dei legatus ac propheta, praecursor Messiae, secundum Mal. III, 1, IV, 5 — Mc. I, 2 et loc. par.

Si intendatur implicita comparatio ad Verbum (v. 1), — sicut mox explicita habetur v. 8, — sub triplici respectu subordinatur Baptista Verbo: α) Baptista ἐγένετο, dum Verbum ἦν;

- β) ille *homo* erat; *Deus* erat Verbum; — γ) ille missus *a Deo;* Verbum erat *apud Deum (Baldensperger).*

cui nomen erat Ioannes. — En demum concreto nomine designatur *homo ille, legatus Dei;* vere sollemnis est hic modus introducendi Baptistam, qui et ipse introducit Verbum in mundum; atque in hac emphatica progressione a generali ad particulare et concretum... rhythmus habetur consonans praecedentibus.

Ioannes (hebr. *Iochanan,* abbrev. a *Ieho-chanan:) Dominus propitius est.* Hoc nomen, a Deo impositum, hominis illius divinam missionem Deique gratiam significat et nuntiat; dum *Verbum* Deus erat. — Circa eius nativitatem, cf. Luc. I, 5-25; 57-80; circa eius ministerium, Matth. III, 1-12; Mc. I, 1-8; Luc. I, 1-18 (v. 19-20 narrant eum in vincula fuisse coniectum). — Baptista, sacerdos et nazir, erat *propheta,* utpote missus a Deo tamquam praecursor et nuntius venturi Christi. Immo a Domino proclamatur « *plus quam propheta* » Matth. XI, 9; nam complectens suo nuntio prophetias omnes, vidit insuper ipsum Messiam: propheta est ergo et testis, ipso suo testimonio prophetias confirmans.

In quarto Evangelio undevicies occurrit nomen *Ioannis,* praecursoris Domini; neque unquam titulo « Baptistae » designatur, sicut in Synopticis et ab ipso *Flavio Iosepho (Antiq.* XVIII, 5, 2). Hac appellatione distinguebatur Ioannes Praecursor ab alio celebri Ioanne, scil. Evangelista. At pro Ioanne Evangelista unus tantum est Ioannes, scil. Baptista, qui hac appositione neque est determinandus. Nonne hinc pulcre videtur auctor huius evangelii esse alter ille Ioannes? « This in itself is strong incidental evidence, notat *Plummer,* that he himself is the other John ». Insinuationes tales haud rarae sunt in quarto evangelio: est character seu sigillum auctoris. Atque placet in hoc scripto stilus modestus, impersonalis, subobscurus aliquando et aenigmaticus — planus tamen benevole legenti.

Ex seq. v. 35-40 concludimus similiter, Evangelistam Ioannem a Baptista fuisse missum ad Christum, tamquam unum ex primis apostolis; itaque Evangelista narraturus est Baptistae testimonium tamquam oculatus testis.

— Describitur igitur nunc Baptistae missio: primo positive, tripartita periodo v. 7; deinde negative tamquam in echo ter-

minatur phrasis v. 8. Iterum notentur sollemnis sermo et rhythmus.

7. — *Hic:* οὗτος, resumit praecedentia sicut v. 2 secundum consuetum stilum Ioannis; — *venit in testimonium:* en termino generali descripta missio Baptistae. Sicut v. 6 ἐγένετο generali termino descripsit Baptistae apparitionem, ita ἦλθεν *venit* eius ministerium: *venit in testimonium*, non pro se, sed ut testimonium perhiberet de alio....

Secundā sententia *obiectum* testimonii indicatur:

ut testimonium perhiberet de lumine. — Iam scimus hoc lumen esse Verbum, quod nunc sensibiliter supponitur apparuisse in concreta persona Christi, sicut de praesente testimonium perhibet Baptista.

Verbum μαρτυρέω, sicut et substantivum μαρτυρία, frequentissima sunt in quarto Evangelio. *Verbum*, 1 apud Matth. et Luc., 33 apud Ioan.; — item *substantivum*, 3 apud Matth., 1 apud Luc., 14 vero in evangelio quarto. — Quemadmodum Christi opera sunt signa ut credatur Iesus esse Filius Dei; ita et testimonium est via ad fidem et fidei fundamentum. *Testimonium* est una ex primordialibus notionibus huius evangelii, quia testimonio nititur fides: atque fides in Iesum est scopus evangelistae (comp. XX, 31 et XXI, 24-25). « Le témoignage, scribit *Godet* h. l., ressemble au tronc vigoureux du chêne; la foi à la faible tige qui embrasse ce tronc et en fait son point d'appui ».

Tertiā demum sententia *finis* Joannis testimonii indicatur:

ut omnes crederent per illum, scil. *per Joannem;* et *crederent* quidem in Jesum-Messiam, cui paratur via; et crederent, non tantum Judaei, sed *omnes*. Eadem salutis universalitas innuitur infra v. 9 et 12.

Triplici ergo sententia descripta est Joannis missio:

α) generali termino: *venit in testimonium;*

β) quoad testimonii obiectum: *ut test. perh. de lumine;*

γ) demum quoad testimonii finem, qui tamen a mittente primo est intentus: *ut omnes crederent per illum.*

Hic est stilus ingenii contemplantis, generatim membratimque veritatem altius inculcantis: huic rhythmico stilo inest singularis emphasis atque vis.

Negative, more semitico, idem repetitur:

8. — *non erat ille lux, sed* (ellipsis suppl. *erat*, ut in praec. membro; aut, sicut v. 7 *venit*) *ut testimonium perhiberet de lumine.* — Dicit ergo Evangelista, Joannem « non solem, sed luciferum fuisse, qui solem, post se oriturum testaretur, » ita *Maldonatus.*

Fere sicut v. 3 negative repetitur quod antea dictum est. Attamen hic tanta cum emphasi negatur Baptista esse lux, ac si Evangelista corrigere vellet falsam opinionem circa illum, comp. v. 20 et III, 26. Ille ergo non est lumen illuminans ac per se lucens (v. 5, 9) sed illuminatum, prout ab ipso Jesu proclamatur: « *lucerna ardens et lucens* » (V, 35). Hic scopus polemicus, iam agnitus a *S. Cyrillo Alex.*, vix negari potest (contra *Calmes*). Ephesi enim, ubi hoc evangelium traditur scriptum, invenit S. Paulus, in tertio suo itinere, discipulos qui baptisma Joannis tantum acceperant (Act. XIX, 1–6); atque ex *Recogn. Clem.* I, 54; 60 discimus, nonnullos Baptistae discipulos agnovisse Magistrum suum tamquam Christum, quia Jesus eum dixerat maiorem prophetis. Ita inter alios *Lightfoot* (9); praecipue vero (nimis systematice tamen) *Baldensperger*: item *Zahn* et plerique exegetae.

— 2 — *Praesens reicitur Lux a mundo*, 9–11.

9. Erat lux vera,
quae illuminat omnem hominem,
veniens in mundum.
10 In mundo erat,
et mundus per ipsum factus est,
et mundus eum non cognovit.
11 In propria venit,
et sui non receperunt eum.

A Baptista, qui non erat lux, sed testimonium perhibuit de luce, transit Evangelista ad considerandum lumen.., lumen verum quod interim veniebat in mundum, ad populum suum electum, sed reiecerunt illud.

Iterum ultima vox v. 8 assumitur tamquam initium v. 9, cuius simili modo finis transit ad v. 10. Heic (v. 10) magna cum emphasi ter repetitur nomen ingrati *mundi*; quae ingratitudo adhuc augetur, cum v. 11 dicuntur nec ipsi familiares eum recepisse.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

9. — *Erat lux vera* etc. Quoad grammaticam constructionem, nota subiectum (Christum, v. gr.) minime subaudiri. Subiectum enim est: *lux vera*, praedicatum autem: *erat veniens* seu *veniebat*. Vera lux determinatur appositione: *quae illuminat om. hom.* Unde optime vertit *Crampon:*

La lumière, la vraie,
celle qui éclaire tout homme,
venait dans le monde.

« *Erat* » autem in capite phraseos emphatice legitur, oppositum huic v. 8 « *non erat* ille lux » de Joanne dicto.

Dicitur lux illa *vera* (τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν), non prout opponitur mendaci (tunc scripsisset Evangelista ἀληθές, cfr. *infra*), sed prout opponitur imperfecto. Est enim lumen — supernaturale — perfectum, antonomastice utpote divinum, v. 4; atque tale ac tam excellens quod *illuminet omnem hominem*, dummodo, ut patet, sese non avertant. *Omnem*, inquam, *hominem illuminat* (nota temp. praes.), neque enim exclusive hunc aut illum populum, neque tantum brevi tempore vitae humanae, sed *omnes* et *semper illuminat* (φωτίζει πάντα ἄνθρωπον) inde ab apparitione sua in mundo usque ad gloriosam suam parousiam.

Lux vera: τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν, adiectivum distinguendum ab ἀληθής — Hoc enim significat *verum* ut oppositum *falso logice;* istud vero *perfectum* seu *verum ontologice*, ut oppositum *spurio* vel *imperfecto*. Adiectivum hoc frequens est apud Joannem, Ev. 9; I Joan. 4; Apoc. 4; — dum semel tantum apud Lucam XVI, 11, semel apud Paulum I Th. 1, 9, ter in ep. ad Hebr. VIII, 2; IX, 24; X, 22. Notanda est haec litteraria similitudo inter IV Ev., I Joan. et Apoc.; cfr. supra ad v. 5 *ven. in* (*hunc*) *mundum;* tum graece, tum latine in ed. crit. Vulgatae WW., deest pron. *hunc*. — Circa nexum graeci participii ἐρχόμενον grammatice dubium est possibile, nam:

α) vel est accusativum masc. referendum ad immed. praec. ἄνθρωπον;

β) vel est neutrum referendum ad φῶς et intime connectendum huic ἦν.

Olim magis favebant priori interpretationi, tamquam prima facie magis obviae; ita v. gr. in Vulgata: *om. hominem venientem;* ita etiam *Mald.* et recenter *Knab.*

Hodie vero longe plerique alteram interpretationem am-

plectuntur, et intellegunt textum de *adventu lucis* in mundum; confer *Crampon* supra citatum.

Notat quidem *Maldonatus*, et post eum *Knab.*, rabbinos expressione « venientes in mundum » designare *homines*. At observat merito *Zahn, sola* ista expressione, tamquam consueta periphrasi, homines indicari. Apud Joannem vero, iungendo « ven. in mundum.» cum « omnem hominem » haberetur insipidus pleonasmus.

Neque obstat divisio et separatio *actionis* a *verbo substantivo* ἦν... ἐρχόμενον. Talis enim usus non est alienus a stilo ioanneo, v. gr. II, 6; XVIII, 18; — comp. I, 28; III, 23; X, 40; XI, 1; XIII, 23; XVIII, 25. Ita magis dirigitur mens ad subiecti statum, atque eius actio describitur tamquam successive sese evolvens: « a solemn fulness of expression, notat *Plummer*, and not a weak addition. »

Ergo « *lux illa vera*, *quae* scil. *illuminat omnem hominem*, (iuxta v. 4–5), *erat* — tempore Baptistae — *veniens in mundum.* » Veteres quidem miro consensu, prout etiam *Mald.* notat, hoc de Verbi divinitate sunt interpretati; at eodem clar. exegeta sincere fatente, ipsa verba, prout iacent, manifeste probant hic iam agi de Verbo incarnato.

Lux Verbi ideo emphatice in hoc v. 9 quadrupliciter determinatur:

α) tamquam *vera* seu *perfecta*, utpote divina,
β) tamquam *illuminans* per se et semper,
γ) atque illuminans *omnem* hominem;
δ) haec divina lux, seu Verbum, demum *veniebat* in mundum.

Tanta emphasis nondum sufficit; Verbi praesentia in mundo magis describitur:

10. — ***In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.*** — Iterum atque iterum (comp. v. 1, et 4–5), secundum stilum semiticum, tres iuxtapositae sententiae, connexae simplici copula *et*, ter repetito eodem subiecto: hic est stilus paratacticus; latini vero et graeci expresse sententias syntactice ligarent.

Ter repetitur idem substantivum *mundus*, quod a sensu obvio litterali transit ad translatum ethicum, fere ut v. 5 *(tenebrae)*; ac demum in ultima sententia, vivida exprimitur oppositio ad

praecedentia, similiter sicut v. 5: hoc vocaverunt exegetae Joannis « tragicum tonum, » ita *Plummer* et *Holtzmann* (10).

Notetur sedulo climax huius sententiae, — mox adhuc augendus, tragice, in versu sequenti:

α) *in mundo erat*, ergo mundus debebat eum praesentem cognoscere;

β) *et*, i. e. *insuper mundus per ipsum factus est*, quanto magis tamquam proprium Creatorem agnoscere eum debebat mundus;

γ) *et*, i. e. contrario, *attamen mundus eum non cognovit.*

Quanta caecitas atque ingratitudo!

Mundus: ὁ κόσμος septuagies septies in Evangelio Ioannis (in I Ioan. ter et vicies.) Sicut in modernis linguis christianis, ita in N. T., praecipue apud Ioan., *mundus* frequenter designat peiorative mentem humanam conversam ad mundum, aversam a Christo. *Mundus* ergo in tertia sententia (γ) stat translate ethice pro *mundanis* « qui amando mundum, dicti sunt mundus », ita *Aug.*

Hic mundus *eum non cognovit.* — Nota αὐτόν *eum*, masc. accus.; ergo evangelista iterum loquitur de Christo non tamquam de Luce (φῶς neutr.), subiecto immediate praecedenti; sed tamquam de *Verbo* (λόγος, masc.), quod remanet subiectum principale totius prologi. Unde concludi licet, etiam praecedens illud δι' αὐτοῦ (β) esse masculini generis atque referendum ad Verbum Creatorem.

Non tantum a mundo — in generali — reiectus est, sed ab ipso populo suo:

11. — *In propria venit et sui non receperunt eum.* — Vivida oppositio inter utrumque versus membrum, expressa simplici copula *et* (pro *attamen*), iterum notetur; hic est Ioannis « tragicus tonus », atque demum ipse indifferens *Holtzmann* sentit « die pathetische Klimax ».

εἰς τὰ ἴδια: *in propriam ditionem*; οἱ ἴδιοι: *ipsi familiares eius.* His verbis, stricte loquendo, possent iterum et *mundus* et *homines* in generali designari, qui sunt *Creatoris* ditio et familiares, titulo proprietatis. Attamen, cum plerisque exegetis hodiernis, haec intellegimus de terra et populo Israël, qui a Iahveh vocantur: terra mea et populus meus, v. gr. Ex. XIX, 5; Deut. VII, 6; Is. XIX, 25; XLVII, 6; Jer. II, 7 etc. Venit enim

Messias in terram suam, venit ad populum suum; atque extra vineam suam eiectus est a perfidis vinitoribus, cfr. Matth. XXI, 33–46 et l. par.

Hi ergo, Israelitae, *non receperunt eum:* αὐτὸν οὐ παρέλαβον; id est, non acceperunt *oblatum* sibi donum seu Messiam. Verbum enim παραλαμβάνω designat acceptationem e manu offerentis; — dum λαμβάνω, sicut in versu seq., significat *sponte* aliquid sumere, comp. I Thess. II, 13. Aptissime haec diversa verba v. 11 et 12 sunt electa: nam Israelitae Messiam ad ipsos venientem non acceperunt, donum offerentis Dei recusarunt; — dum sponte eum receperunt Gentiles ad eum venientes a longe.

— 3 — *Recipientibus se confert filiationem divinam,* 12-13

12. Quotquot autem receperunt eum,
dedit eis potestatem filios Dei fieri,
his qui credunt in nomine eius:
13. qui non ex sanguinibus,
neque ex voluntate carnis,
neque ex voluntate viri,
sed ex Deo nati sunt.

Israelitis ingrate repudiantibus Messiam suum — atque ipsis repudiatis, — opponuntur credentes, quotquot sint, quibus confertur filiatio divina. « O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens... largitus est nobis suam Deitatem ».

12. — *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis* etc. — Ὅσοι *quivis,* sive Iudaei sive Gentiles fuerint, dummodo credant. Novus Israel non est tantum vetus Israel donis messianicis auctus. Natura seu nativitas hic nihil prodest, fides sola introducit in regnum messianicum. Novus Israel spiritualis est, et constituitur ex credentibus; comp. Act. X, 34-35; Rom. IV; X, 11-12; Gal. III, 23-29.

dedit eis potestatem: ἐξουσίαν, i. e. non meram potentiam (δύναμιν), sed iuridicam facultatem ac titulum, cfr. *Zorell.* Hoc autem ius nobis non inest ab intrinseco, hoc congruit soli Unigenito, qui *dedit* nobis gratuito dono *adoptivam* filiationem divinam.

Constructio irregularis est: *quotquot receperunt eum.... dedit eis....* Forsan evangelista consulto nunc *credentes,* tunc *Verbum*

— *Christum* tamquam subiectum agens exhibet, ut maiorem vim ponat: α) ex una parte, in subiectiva requisita conditione pro aggregatione in novum Israël, scil. in spontanea receptione per fidem; — β) ex altera parte, in liberalitate summa Verbi erga recipientes se; hinc, mutato subiecto, in maiorem lucem ponitur sublime donum, maiori adhuc emphasi statim exaggerandum in v. sequenti: hoc est enim Verbi-Unigeniti supremum donum.

filios Dei fieri. — Hanc nostram divinam filiationem praecipue describunt Paulus et Ioannes; cfr. Rom. VIII, 14-17, 21; IX, 8; Gal. IV, 4-6; Philpp. II, 15 (item II Petri I, 3-4). Iam initio ministerii sui, erudivit Dominus Nicodemum circa requisitam nativitatem novam seu caelestem ut quis regnum messianicum ingredi valeat, Ioan. III; comp. XI, 52 et I Ioan. III, 1-2, 10; V, 2.

Credentes dicuntur « filii Dei *fieri* »: non enim natura sunt, ac semper magis crescunt in moralem similitudinem seu perfectionem Patris sui caelestis. « Et cur non dixit: *Fecit illos filios Dei;* sed: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri?* quaerit *S. Ioan. Chrys.* Ut ostenderet multa nobis opus esse diligentia, ut adoptionis imaginem in baptismate nobis impressam, immaculatam semper et intactam servemus; simulque declararet, hanc potestatem a nemine a nobis auferri posse, nisi prius ipsi illam nobis abstulerimus ».

Egregie autem ostendit *Angelicus* ad h. l. quomodo homines fiant *filii Dei:* « Homines fiunt filii Dei per assimilationem ad Deum; et ideo secundum triplicem assimilationem hominum ad Deum homines sunt filii Dei. *Primum* enim per gratiae infusionem: unde quicumque habet gratiam gratum facientem, efficitur filius Dei (Rom. VIII, 15; Gal. IV, 6), — *Secundo* assimilamur Deo per operum perfectionem, quia qui facit opera iustitiae, est filius (Matth. V, 44). — *Tertio* assimilamur Deo per gloriae adeptionem... ».

Qui sunt illi qui receperunt Verbum, et quibus datur ut possint fieri filii Dei? *Qui credunt in nomen eius*, i. e — cum *nomen* more semitico stet pro persona — qui credunt in Iesum et in eius divinam missionem. Fide ergo recipitur Verbum — Christus; fide acquiritur titulus in filiationem divinam.

Credere *in aliquem:* πιστεύειν εἰς characteristica expressio Joannis, 34 in Ev., 3 in I Ioan, — dum alibi in N. T. novies

tantum. Credere *alicui* 12 apud Ioan., bis in I Ioan. Qui credit *alicui*, eius testimonium accipit; qui vero credit *in aliquem* totaliter se tradit ei.

Quomodo *filii Dei* nascamur, cum emphasi demum concludendo negative ac positive declaratur:

13. — *qui non ex sanguinibus.* — Graece οἵ masc. sub influxu praec. participii; revera pronomen relativum refertur ad τέκνα; est ideo constructio ad sensum. — Ἐξ αἱμάτων hoc plurale minime designat materias diversas concurrentes ad generationem; sed est plurale idiomaticum materiae, stat pro singulari: *qui non ex sanguine.* Euphemismus pro *semine;* indicatur scil. *materia* generationis. De cetero, apud semitas, sanguis concipitur tamquam sedes vitae, cfr. v. gr. Lev. XVII, 11, 14.

neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, i. e. neque ex instinctu seu concupiscentia naturali, neque ex deliberata voluntate principalis agentis seu viri. — *Caro* h. l. designat animalem naturam exclusa ratione, minime vero muliebrem sexum, prout *S. Aug.* scribit. — *Voluntas viri* autem designat nobiliorem genitorem; qui, tamquam humanae naturae pater, statim opponitur Deo, Patri caelesti, auctori unico filiationis divinae. « Ad designandam ergo materialem causam, dixit: *non ex sanguinibus;* sed ad designandam causam efficientem quantum ad concupiscentiam, dicit: *neque ex voluntate carnis...* Ad designandum vero appetitum intellectivum dicit: *neque ex voluntate viri...* » ita presse secundum litteram *Angelicus.*

Triplex ideo causa generationis mere humanae *ascendendo* (climax) excluditur: α) materia seu sanguis; β) instinctus vel concupiscentia, causa efficiens mere sensitiva seu animalis; γ) voluntas demum et quidem genitoris nobilioris seu viri, i. e. causa efficiens rationalis.

E regione filiatio divina non procedit neque ex materia, neque ex inferiori impulsu carnis, neque ex homine, sed *ex Deo:* illa est carnalis, immunda, facitque filios hominum; haec vero est spiritualis, munda facitque filios Dei, ita *S. Thomas* (*VI lectio ad fin.*).

sed ex Deo nati sunt. — En verum atque unicum principium filiationis nostrae divinae: Deus ipse, qui infusa gratia sua, nos « divinae consortes naturae efficit. » II Petri I, 4.

Forte iam *S. Iustinus Martyr* et probabilius *S. Irenaeus* (in

citationibus), at certo *Tertullianus* legerunt: (ὅς)... ἐγεννήθη... *natus est*, hoc ad Christum referentes; forma pluralis autem (quam traditionalis textus exhibet) tribuenda foret, secundum *Tertullianum*, Valentinianis... Sic sonat notandus textus Africani: « Quid est ergo: « *non ex sanguine nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo natus est* » ? Hoc quidem capitulo ego potius utar, cum adulteratores eius obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt: *non ex sanguine, non ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo nati sunt*, quasi supra dictos credentes in nomine eius designet, ut ostendat esse semen illud arcanum electorum et spiritualium, quod sibi imbuunt. » *De carne Christi*, XIX. — Comp. etiam *Aug.: Conf.* VII, c. 9, 14; similem textum insinuant nonnulli alii, paucissimi tamen. Item *cod. Veronensis (b)* « *qui.... natus est* »; et *Liber Comicus* (quem edidit cl. *Morin* in *Anecd. Maredsol.*, I, 60): « *qui non ex sanguinibus neque ex uolumptate uiri, sed ex deo natus est.* » — Inter modernos huic lectioni favent *Blass*, *Resch*, *Loisy* et *Zahn* (cuius conferri potest specialis excursus II).

Qui hanc variantem considerant tamquam lectionem primigeniam, ea uti possunt in favorem conceptionis virginalis Jesu Christi, quam magnifice extollit. Exspectaretur quidem a priori maior insistentia in supernaturali nativitate Christi, quam credentium, — inde forsan varians lectio... Insuper admissa lectione hac, seu forma singulari, tam sponte prosequitur oratio ut suapte natura introducatur eique connectatur versus 14; qui e contra, cum altera lectione plurali, ex abrupto — nos dicimus, maxima cum emphasi — enuntiat Verbi Incarnationem. Internae ergo rationes — etiam doctrinales et apologeticae — inducerent ad lectionem singularem *Tertulliani* et *cod. Veronensis* admittendam.

Huic autem adversatur critica externa seu testimonium Patrum et codicum antiquorum, qui pro maxima parte referunt lectionem canonicam et traditionalem. Eidem favet similiter ioannea doctrina de spirituali regeneratione credentium, cfr. cap. III et ep. I. — Neque hinc sequitur, Ioannem ignorasse supernaturalem Christi nativitatem; nam, exeunte primo saeculo scribens ignorare non potuit evangelia Lucae et Matthaei tanta emphasi hoc dogma tradentia. Immo nonne in imitationem ipsius Christi, Christifideles neque ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nascuntur? Synoptici

tradunt supernaturalem conceptionem Christi. Ioannes, mysticus theologus, divinam regenerationem docet credentium, Christo unitorum, tamquam palmitum viti. Cfr. *Calmes, Tillmann, Lagrange.*

Hae demum variantes lectiones, iam saeculo secundo occurrentes et per varias regiones sparsae, probant hoc evangelium quartum scriptum esse ad finem primi saeculi; quod testatur revera traditio; ita *Plummer* (11).

III. — Verbi Incarnati revelatio (14-18)

— 1 — *Verbum Incarnatum plenum gratiae et veritatis,* 14

14. Et Verbum caro factum est,
et habitavit in nobis:
et vidimus gloriam eius,
gloriam quasi unigeniti a patre
plenum gratiae et veritatis.

Post maximum honorem hominibus collatum, maxima humiliatio Verbi quod factum est homo, immo caro factum est. Vere abyssus abyssum invocat; unus tamen utrobique amor infinitus. Credentium generatio divina, explicatur Verbi generatione humana. Abrupte quidem prima facie transimus ad v. 14: at ipsa divina altitudine v. 13 explicatur transitus ad exinanitionem v. 14.

In antecedentibus iam supponebatur adventus Verbi in mundum, at quasi abstracte descriptus est eius influxus in homines; nunc concrete et historice narratur Verbi Incarnatio, praesentia et opus inter homines.

Huc tendebat evangelista, qui nunc loquitur ut testis; grato ergo amore animatur eius stilus: v. 14 est tamquam fastigium totius prologi; — at si ex parte Verbi consideratur, tunc apparet tamquam demissionis abyssus! ita *Tillmann* (12).

14. — *Et Verbum caro factum est.* — In versu 1° tantum Evangelista de « Verbo » expresse locutus est; deinde Verbi influxum consideravit praecipue erga homines: est lux hominum, principium eorum vitae divinae.. Venit Baptista testimonium perhibens de lumine (v. 6 sq.) Interim lumen, quod est Verbum, erat in mundo (v. 9 sq.). — Quod historice confirmatur et explicatur v. 14. Unde copula *et*, non est mere coniunctiva, sed insuper emphatice explicativa: « *et sane,* seu *nimirum* Verbum

caro factum est », ita *Harnack* (apud *Holtzmann*), *Tillmann*, *Lagrange*.

Hic autem nomen divinum **Verbi** demum explicite repetit Evangelista — non sine legentis admiratione —; quia primum versum et ea quae ibi dicta sunt, applicare vult *Incarnato* Verbo, seu Iesu Christo in quem prospiciebat ab initio et qui est totius Evangelii subiectum. Ideo Verbum α) quod erat *in principio*, β) *apud Deum*, γ) et ipsum quidem *Deus*, — α) in tempore natum est, β) habitavitque inter nos, γ) caro humilis factum. Infinite distantia infinito amore conveniunt in Verbo ad redemptionem nostram: haec non licet contemplari quin ardeat cor nostrum...

caro: σάρξ. — Stat pro homine, qui emphatice designatur per inferiorem partem, humilem, passibilem, — ut eo vividius exprimatur superata distantia, et quasi oppositio inter v. 1 et hunc 14, inter Verbum *Deum* et *carnem*. Non dicitur ἄνθρωπος *homo*, ens nobile, cuius potuisset tantum formam assumere, ut quandoque angeli; non dicitur σῶμα *corpus* haud expressa vita, sed caro humilis et passibilis mortalis. Cum vero stet pro *homine* non excluditur, ut patet, sed supponitur assumpta et *anima*, (contra Apollinaristas). Inutile videtur dictu, vocem *carnis* h. l. minime includere peiorativum sensum « fomitis peccati », quem apud Paulum frequenter habet, in quantum caro opponitur spiritui.

Sed quare tanta emphasi Verbum *caro* dicitur factum? Nobis sufficeret ratio iam dicta, ut scil. vividius exprimatur oppositio inter v. 1 et hunc v. 14, inter aeternam existentiam Verbi et eius temporaneam apparitionem inter nos; ut altius demum inculcetur Verbi exinanitio et infinita dilectio.

Attamen quia Ioannes alibi peiorative de carne loquitur (III, 6: *quod natum est ex carne, caro est*; VI, 64: *caro non prodest quidquam*); quia, ex altera parte, in epistulis videtur loqui contra illos, qui de *realitate carnis Christi* dubitabant (cfr. I Ioan. IV, 1-3; II Ioan. 7), ideo nonnulli putarunt Ioannem implicite adversari nascenti docetismo. Ita recenter *Zahn* et *Tillmann*.

factum est. — Sedulo notanda est vis huius verbi, prout h. l. unit subiectum praedicato. « Verbum fit caro », non ita quidem ut Verbum mutetur in carnem, seu substantia unius transeat in substantiam alterius, prout v. gr. cibus fit caro, aut

(ut exemplo ipsius Ioannis utamur) sicut « aqua vinum facta » est. II, 9; — sed persona Verbi, remanendo — ut patet — Deus, fit verus homo assumpta natura humana. Itaque persona secunda S.mae Trinitatis, quae est essentialiter et ab aeterno Deus, est ipsa eadem numero *homo* mortalis in tempore, quin tamen ulla intrinseca mutatio facta sit in persona Verbi immutabilis; post Incarnationem ergo habetur una persona Verbi in duplici natura divina et humana, illa aeterna atque immutabili, hac vero passibili et mortali.

et habitavit: καὶ ἐσκήνωσεν i. e. *tabernaculum fixit.* Vulgata versio latina non est adaequata, non exprimit typicum sensum graeci verbi.

Verbum σκηνοῦν hic tantum occurrit et quater in Apocalypsi; alibi numquam in N. T. (Jam supra ad v. 9 notavimus litterariam relationem inter IV Ev. et Apoc., et ad v. 5 inter IV Ev. et 1 Ioan., quae traditionis testimonio revera uni eidemque auctori tribuuntur). Cum autem verbum illud ex una parte semel tantum in Evangelio occurrat, immo et figurate adhibitum; cum ex altera parte « domus pelliceae » — prout in Oriente tentoria vocantur — illo tempore in desertum iam essent relegatae, — hinc omnino spontanee enascitur suspicio, Ioannem consulto verbum istud elegisse ad aliquid speciale significandum. Quid ergo?

α) Non omnino improbabilis videtur nobis sententia clar. *Maldonati* scribentis: « voluisse Ioannem *verbo a tabernaculo deducto* significare, Verbum Dei non tamquam indigenam in patria sua, sed tamquam hospitem et peregrinum in aliena apud nos ad tempus tantum habitasse ».

β) Sed altior adhuc proponitur ratio, quam hodie plerique admittunt. Verbum ergo ἐσκήνωσεν *tabernaculum fixit,* in mentem revocaret *tabernaculum* Veteris Test., in quo habitabat Iahveh in medio populi sui. Cfr. v. gr. Ex. XXX, 8: « *Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum* ». Quod eventu comprobatum est. Nam « *postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii et gloria Domini implevit illud* ». Ex. XL, 31-32, cfr. seq.; comp. *ibid.* XXIV, 15-18 et 1 (III) Reg. VIII, 10-11. Assumpta ergo caro Christi nobis est signum praesentis Dei; immo Verbum Incarnatum est *Emmanuel,* continua revelatio Dei, coruscante etiam in eo gloria Dei; — prout mox

testabitur Ioannes. Gloriosa Dei habitatio ac manifestatio — et consequenter ipse *Deus*, consueta metonymia ad vitandum sacrum Iahveh nomen, — a rabbinis vocabatur *Shekinah*, quam etiam materialiter resonat ioanneum ἐσκήνωσεν.

Verbum *caro* factum habitavit ergo, seu tabernaculum suum fixit inter nos; Deus fuit nobiscum, resplendens gloriam Dei. Hoc pronomen: *in nobis*, immediate quidem refertur ad Iesu coaetaneos, at praecipue Ioannem ipsum tamquam oculatum testem exhibet. « In dem Wir steckt ein vollwichtiges Ich. » (*Zahn*)

et vidimus: ἐθεασάμεθα, i. e. contemplati sumus, *gloriam eius*. Ita gloriose Iahveh apparuit populo Israel, refulgente maiestate eius super tabernaculum et in templo; unde Iahveh designabatur ipsa gloria sua: *Kabod* vel *Ieqar;* cfr. *Dalman, Die Worte Iesu*, p. 187-189. (13) — Quamvis ergo humilis in passibili carne venerit Verbum, per hanc carnem tamen resplenduit divinitas sermone, miraculis, gloriosa praecipue Transfiguratione, cuius Ioannes unus e tribus privilegiatis testibus fuit: cfr. Matth. XVII, 1-13 l. par.; (praecipue Luc. IX, 32: evigilantes *viderunt gloriam eius*); II Petri I, 17.

gloriam quasi unigeniti a patre. — Particula ὡς h. l. non indicat meram similitudinem: *quasi* = *fere ut;* sed fontem verum illius gloriae, adaequationem scil. perfectam inter duos terminos, inter effectum et causam. Ita unanimiter omnes Graeci; *Chrysostomus* v. gr. notat: « Illud autem *quasi*, non similitudinis est neque parabolae, sed confirmationis et definitionis nulli dubio obnoxiae; ac si diceret: Vidimus gloriam, qualem decebat habere unigenitum et germanum Filium Dei, universorum Regis. » Eodem modo, atque egregie, *Theodorus Mopsuestenus*.

Legitur quidem graece μονογενοῦς παρὰ πατρός sine articulo, i. e. *gloriam talem ac tantam. qualem pater unico suo donat;* — revera autem hic agitur de Verbo procedenti tamquam Unigenito a Patre, qui ei, tamquam unico et dilecto suo, totam gloriam suam confert, illamque confert non solum ab aeterno ceu Verbo procedenti, sed etiam in tempore homini facto. « Loquitur autem Ioannes, ut opinor, ita acute *Maldonatus*, de Verbo etiam quatenus homo erat: nam etiam ut homo unigenitus erat Dei, et omnem eius gerebat gloriam. Quid enim non erat, qui Deus erat? quid non habebat, qui inhabitantem in se, et in eamdem personam coniunctam habebat divinitatem ».

Mundum mente gerens pulchrum,
pulcherrimus Ipse *(Boëtius)*

Μονογενής *Unigenitus,* solus Ioannes hoc titulo utitur ad Messiam designandum, hic et infra v. 18; III, 16, 18; I Joan. IV, 9. (Alibi adhuc idem nomen occurrit, non tamen de Christo usurpatum: Luc. VII, 12; VIII, 42; IX, 38 et Hebr. XI, 17). Apud LXX μονογενής quindecies circiter stat pro hebr. *iachid,* — quod alibi vertitur ἀγαπητός *dilectus.* — Paulus autem vocat nonnumquam Christum πρωτότοκον *primogenitum,* quod, prout sonat, non excludit sed supponit *alios natos* vel saltem *nascendos*; cfr. Rom. VIII, 29 (videsis cl. *Zorell* ad h. v.). — Credentes omnes quidem *filii Dei* gratia possunt fieri, v. 12. *Logos* autem est Unigenitus Filius, utpote ab aeterno consubstantialis a Patre procedens; est Unigenitus, etiam tamquam Primogenitus et Incarnatus, utpote unico modo natus; atque, in opere et sermone, singulariter est *plenus gratiae et veritatis.*

Vulgata vertit: « *plenum* gratiae et veritatis, » ubi graece habetur: πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Adiectivum πλήρης prima facie videtur nom. masc.; in lingua vulgari (*koinè*) usurpatur tamen etiam ut indeclinabile. Unde *grammatice* aeque referri posset sive ad λόγος (ita olim sat multi, atque adhuc *Westcott* et *Calmes,* hoc subiectum est tamen nimis distans..), sive ad αὐτοῦ; — posset etiam esse absolutum quoddam nominativum sine grammatica relatione ad praec. Logice autem certe ad Verbum refertur, « de cuius *plenitudine* nos omnes recepimus » v. 16, et « per quem nobis *gratia* et *veritas* facta est » v. 17.

Haec duo attributa frequenter in V. T. de Jahveh videntur dicta, v. g. Ex. XXXIV, 6 « *rab chesed ve'emeth* i. e. multae misericordiae et veritatis, » item Ps. XXIV, 10; XXXV, 6 « universae viae Domini misericordia et veritas, » — ubi veritas tamen stat pro *fidelitate.* et misericordia pro *patientia* condonanti hominum infidelitatem. — Apud Joannem vero: « Verbum dicitur plenum *gratia* et *veritate,* » tamquam manifestans quidem Dei misericordiam et favorem, Deique fidelitatem, sed insuper sensu altiori tamquam largiens nobis *vitam* suam, seu gratiam habitualem virtutum et donorum qua efficimur *filii Dei* (v. 4, 12), et tamquam Unigenitus Deus introducens nos *in mysteria Dei,* est enim vita et lux hominum (v. 4, 9; 16-18).

Concludendo: hic momentosus versus, ioannei prologi atque totius christianae revelationis culmen, quattuor enuntiat:

1. Incarnationis factum: *et V. caro factum est.*
2. Factum Verbi vitae terrestris: *et habitavit in nobis.*
3. Evangelistae testimonium de gloriosa eius manifestatione: *et vidimus gloriam eius.*
4. Characteres demum generales apparitionis et ministerii eius: *plenum gratiae et veritatis.*

— 2 — *Joannis Baptistae testimonium,* 15

15. Joannes testimonium perhibet de ipso,
et clamat dicens:
Hic erat quem dixi:
Qui post me venturus est,
ante me factus est:
quia prior me erat.

Tamquam testis gloriosae manifestationis Verbi statim allegatur Baptista (15), vir in hoc a Deo missus (v. 6–8), maxima ergo auctoritate pollens, — immo et ipsius Evangelistae magister (v. 35). Concludetur vero prologus grato testimonio Evangelistae (v. 16–17) confirmantis et explicantis iam indicatas Incarnati dotes « pleni gratiae et veritatis » (v. 14).

Fere tamquam parenthesis est hic v. 15, considerata intima litteraria atque reali connexione inter v. 14 et 16.

15. — *Ioannes testimonium perhibet de ipso et clamat dicens.* — Notetur tempus praesens verborum (μαρτυρεῖ –; κέκραγεν, perfectum cum sensu praesentis). Adhuc auribus senis scribentis resonat vox illa, quae Iudaicum mundum commoverat, et ipsi Evangelistae Messiam monstraverat dicens: *Ecce Agnus Dei!* I, 35 sq. Mox historice referetur testimonium Baptistae circumstantiis involutum; hic tantum quoad contentum allegatur in laudem Incarnati Verbi.

Hic erat quem dixi.. Mente recedit Baptista ad tempus, quo *venturum* nuntiabat Messiam: Ecce eum, circa quem *dixi.* Emphasis autem habetur in pronomine indicativo οὗτος, in capite sententiae posito, ac si indice proderet Messiam:

Ceteri tantum cecinere Vatum,
Corde praesago, iubar affuturum;
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.

Sequens Baptistae declaratio habet formam aenigmatis, unde accurate servata et transmissa est; hac aenigmatica forma, hac apparenti contradictione (oxymoron) excitatur audientium attentio et curiositas. Comp. infra v. 30; — I, 27 cum loc. par. Synopticorum, et III, 30-31.

(α) *Qui post me venturus est,* (β) *ante me factus est,* (γ) *quia prior me erat.* — Tres ergo partes facile distinguuntur, litterarie inter se arcte connexae.

Ioannes Baptista venturum Christum nuntiavit. Unde *tempore* Praecursor antecessit Christo, Christum nuntiando (1ª sententia: *qui post me venturus est*). Sed, iuxta prologi doctrinam, ipsi Praecursori antecessit Christus tamquam ab aeterno praeexistens Verbum (3ª sententia: *quia prior me erat*). Unde sensus primae et tertiae sententiae videtur certus; dubius autem est nonnullis sensus mediae: *ante me factus est* ἔμπροσθέν μου γέγονεν.

1. — Nonnulli, ut *B. Weiss* et *Godet,* hoc etiam in sensu *temporali* intellegunt: *ante me exstitit operando*, ante me apparuit tamquam Creator, Lux hominum etc.

2. — Plerisque vero, tum antiquis quam modernis, magis placet haec intellegere de praecedentia morali seu maiore dignitate vel honore « *ante me factus est,* idest (notat *Maldonatus*), mihi praelatus, maiore quam ego habitus honore; » et statim huius a Baptista redditur ratio: *quia,* essentiali dignitate sua, *prior me erat.* Secundum illud membrum ergo aliis verbis exprimit, quod idem Baptista de Christo dixit: « *Illum oportet crescere, me autem minui* » (Ioan. III, 30); « *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius.* » (Mc. I, 7). — Ita presse ad litteram *Angelicus* Doctor: « Comparat (Baptista) Christum sibi primo quantum ad ordinem praedicationis; secundo quantum ad ordinem dignitatis; tertio quantum ad ordinem durationis ».

Explicite Baptista profitetur Messiae praeexistentiam. Haec praeexistentia continetur in ipsa prophetia, qua nuntiata fuerat missio Praecursoris: « *Ecce ego mitto angelum* (seu *nuntium*) *meum, et praeparabit viam ante faciem meam* » *Mal.* III, 1; cit. Matth. XI, 10; Mc. I, 2; Lc. VII, 27. Nonne Baptistae verba sunt tamquam applicatio et inversio prophetiae illius nuntiantis adventum eius? De cetero Baptista, ultimus prophetarum et plus quam propheta (Matth. XI, 9; Luc. VII, 26), receperat revela-

tiones a Domino secundum illud: « *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit..* » (I, 33) Demum idem Praecursoris testimonium iisdem verbis expressum legitur infra v. 30. Ergo authenticum est et vere a Baptista prolatum: ultimus prophetarum, omnes prophetias complens testimonio suo, veram naturam Messiae aperte confessus est. Quare ab Evangelista iure hic allegatur. (Contra *Loisy*, et *Holtzmann*). (14)

— 3 — *Testimonium Evangelistae*, 16-18.

16. Et de plenitudine eius
nos omnes accepimus,
et gratiam pro gratia:
17. quia lex per Moysen data est,
gratia et veritas per Jesum Christum facta est.
18. Deum nemo vidit umquam:
unigenitus filius, qui est in sinu patris,
ipse enarravit.

Concluditur ergo prologus grata memoria beneficiorum, quae de plenitudine Verbi Incarnati accepimus. Tunc demum incipiet historica narratio proprie dicta, quae iuxta primaevam catechesin synopticam, exorditur ministerio Baptistae (I, 19-34).

Recolendo vero innumeras gratias receptas (v. 16) transit Evangelista mente ad veterem oeconomiam, ad Legem, cui comparat Christi donum, gratiam scil. et veritatem (v. 17), — veritatem plenam de Deo, quam enarrare potest atque enarravit solus ille qui videt Deum, « *Unigenitus qui est in sinu Patris* » (v. 18).

His ultimis verbis, ad principium redeuntes, iterum contemplamur sublimitatem versus primi: « Et Verbum erat apud Deum. »

16. — *Et* (graece: *quia*) *de plenitudine eius*.. Lectio graeca critice probabilior habet: ὅτι (ita *Nestle*, *von Soden*, *Vogels*) contra Vulg.; quamvis haec Vulgatae lectio facilius intellegatur tamquam mera orationis prosecutio, qua Evangelistae testimonium additur Baptistae, — inde forsan varians lectio. Causalis tamen particula intellegitur, si connectitur, prout oportet, v. 14c; explicat scil. quomodo viderint atque experti sint Incarnatum Verbum « plenum *esse* gratiae et veritatis ».

Litterarie et realiter versus 16 connectitur cum v. 14; — v. 15 est ergo tamquam parenthesis. Unde v. 16 refert non iam Bapti-

stae testimonium (prout voluerunt *Clem. Alex.*, *Origenes* et *Theod. Mops.*), sed Evangelistae, ita iam *Chrys.* Ipsa prima vox *plenitudo* resumit 14[5] *plenum:* — ibi v. 14 Verbum Incarnatum plenum est *gratiae* et *veritatis*, hic etiam *gratia* et *veritas* per Jesum Christum facta est; — ibi et hic oratio fit in prima persona plurali.

Plenitudo Christi, de qua hic agitur, manifeste est plenitudo gratiae et veritatis (14[5]), de qua, tamquam e fonte perenni, gratiam accipimus; — quidquid sit de sensu altissimo eiusdem vocis πλήρωμα in epistulis S. Pauli (cfr. commentarium nostrum *in ep. ad Eph.* p. 126-127 et 172-173; — lege etiam Col. I, 19 et II, 9-10: *plenitudo divinitatis* habitat in Christo, capite Ecclesiae, atque effunditur super nos per multiformes gratias quibus efficimur membra Ecclesiae atque Christi).

nos omnes... Sensus huius primae personae pluralis extenditur, comparate ad v. 14. Non iam agitur de Christi coaetaneis, testibus eiusdem vitae ac gloriae, sed *etiam* de Christifidelibus qui tempore Evangelistae vivebant, immo et de iis qui postea in Christum credituri sunt.

et, epexegetice *scilicet* seu *et quidem*. Obiectum messianici doni exprimitur:

gratiam pro gratia χάριν ἀντὶ χάριτος.

1. — Plerumque vertunt gratiam successive *super* gratiam addi (gallice: *grâce sur grâce*, ita *Crampon*); gratia additur gratiae, quo multiplex gratiae effusio exprimitur. Attamen tunc debuisset Evangelista scribere ἐπί (loco ἀντί); versio ista ergo non videtur adaequata, saltem non exprimit totam vim expressionis graecae.

2. — Particula ἀντί indicat commutationem, sicut merces datur *pro* merito; successio quidem exprimitur, sed simul substitutio et augmentum: *gratia pro gratia*, gratia maior pro minori. Una gratia ergo nobis fit fons altioris ac semper maioris: tanta est munificentia divini Largitoris! Potuissetne Evangelista vividius exprimere gratam admirationem suam pro gratuito atque infinito dono Verbi Incarnati?

3. — Graeci omnes et plerique veteres, ita adhuc *Calmes*, neque contradicit *Loisy*, illa verba intellexerunt de transitu a Lege ad gratiam N. T. — Quamvis seq. v. 17 hanc interpretationem innuat; probabilius tamen tunc dixisset Evangelista: *et*

gratiam pro Lege, prout ipse v. 17 usu probat. Ergo de sola Christi gratia agitur v. 16, quae — ut magis exaltetur — comparatur deinde veteri legi, v. 17.

4. — Plerique ergo illam expressionem interpretantur de continuo augmento abundantis gratiae N. T., quin ullam gratiam peculiarem determinent. — S. Augustinus quidem loquitur de gratia fidei, consummanda gratia gloriae; recenter *A. d'Alès* censuit insinuari donum Paracliti, qui substituit Christum. (*Rech. sc. rel.* 1919, p. 384-386). Haec, ut patet, textui imponuntur; exponitur vero pressius si intellegatur de gratia N. T. in generali, nulla determinata neque ulla exclusa.

Haec allusio ad abundantem gratiam Christi, in mentem Evangelistae revocat legem V. T.; unde ad gratiae et Christi maiorem laudem indicatur essentialis differentia inter veterem et novam oeconomiam.

17. — *quia lex per Moysen data est* (ut iugum illis impositum), *gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (nobis, ut simus filii Dei). — Notetur asyndeton; graecus auctor certe scripsisset μεν... δε, cum opponatur veteri novum; haec constructio paratactica stilum semiticum imitatur. Omnia verba, quibus haec oppositio exprimitur, consideranda sunt: 1) Legi opponuntur gratia et veritas: α) *lex* iubet et imponit onera; *gratia* ut virtus intima nobis datur et adiuvat; β) *lex* est umbra futurorum; *veritas* est ipsa lux et realitas. — 2) *Per Moysen*, tamquam per servum, olim lex data est; *per Jesum Christum*, Incarnatum Verbum, nunc gratia et veritas facta est. — 3) *Data est* lex ab extrinseco atque ut iugum illis imposita; *facta est* autem in nobis intime gratia et veritas... qua efficimur filii Dei. — Nullo fundamento nisus, *Belser* nimis determinando intellegit *gratiam* de Eucharistia, *veritatem* autem de Spiritu mittendo.

Hic prima vice nomen completum historicum, ut ita dicam, Verbi Incarnati pronuntiatur: *Jesus Christus*: adhuc infra XVII, 3, dislegomenon apud Joannem. — *Jesus* est nomen, quo divinitus vocatus est Salvator ab Angelo, nomen historicum quo designabatur a concivibus suis. *Christus* vero, seu Unctus i. e. Messias, nomen officii messianici, quo a credentibus est vocatus, a quibus etiam exaltatus tamquam *Dominus* honoratur. — Quanto magis Evangelista ab altitudine contemplationis descendit ad nos, misericordias Verbi describendo, tanto magis concreta fiunt no-

mina *Verbi* et *Dei:* DEUS v. 1, accipit nomen Patris relate ad Unigenitum v. 14, demum ut pater omnium tum Verbi, Dei Unigeniti, tum nostrum, adoptione filiorum Dei, v. 18. — VERBUM v. 1, apparuit ut Lux v. 5 sq., ut Filius v. 14, demum nomine historico completo indicatur v. 17.

Demum declarat Evangelista, quare Evangelium antonomastice vocandum sit *veritas:* quia nunc Dei veritas per ipsum Unigenitum Deum revelata est.

18. — *Deum nemo vidit umquam.* — Notetur *Deus* cum emphasi in capite sententiae, hoc est enim evangelii et fidei obiectum: Deus invisibilis a Deo nobis revelatus. Notetur similiter graeca energica negatio duplex: οὐδεὶς... πώποτε, *numquam... nullus* vidit Deum.

Unigenitus filius (Deus), qui est in sinu Patris ipse enarravit. — En ergo quare Evangelium sit VERITAS: en obiectum primarium et plenum Christi et Ecclesiae praedicationis, finis demum Incarnationis inquantum Verbum est Lux hominum: *visibilis revelatio invisibilis Dei.*

Ubi latina Vulg. habet: *Unigenitus filius*, graece triplex occurrit varians lectio: *1)* μονογενὴς θεός, *2)* ὁ μονογενὴς υἱός, *3)* ὁ μονογενής.

Pro *3)* tam debilis est critica auctoritas, ut haec brevis — immo brevior ac facilior — lectio neglegi possit.

Lectio autem 2ª, quam exhibet Vulgata, est similiter facillima et omnino conformis ordinario stilo ioanneo, v. gr. III, 16, 18 et I Joan. IV, 9.

At ubi habetur alia nec ordinaria, nec facilis lectio, a priori haec est praeferenda; nam, secundum criticae principium, « proclivi lectioni praestat ardua. » A difficili lectione sponte fit transitus ad lectionem facilem... immutando; at non vice versa... De cetero *primae* lectioni favet maior critica probabilitas extrinseca, eamque plerique hodie admittunt, inter quos *Hort, Harnack, Westcott* (cfr. *comm.* pp. 66-68), *Nestle, Vogels* (praefixo articulo ὁ, quod mendosum videtur), *Zahn*, cuius conferatur elaboratus excursus pp. 712-717; contra *Calmes, von Soden* et paucos alios.

Jamvero haec lectio: *Unigenitus Deus*, quae critice probabilior est, etiam exegetice melius contextui quadrat: nam « *Deum* nemo vidit umquam », nisi, ut patet, *Deus ipse;* — ubi Joannes

excludit visionem divinae essentiae ab hominibus in hac mortali vita. Ergo Deus perfecte nobis revelari nequit nisi a Deo, qualis est Unigenitus, qui propterea h. l. expresse *Deus* dicitur.

Haec visio divinae essentiae est quidem naturalis Unigenito, qua Deo-Verbo; gratia vero conceditur beatis in caelo. At hic in terra nulli in corpore viventi permanenter concedi potest, prout docet S. Thomas I, q. XII, art. 11. Prophetis tamen revelationes de Deo factae fuere. Ne ergo anima humana Christi, hypostatice unita Verbo, eiusdem conditionis censeatur ac anima prophetarum, cui scil. a Verbo-Deo transitorie tantum infunduntur species seu revelationes; dicendum est et animam Christi, Beatorum Capitis, fruitam esse visione divinae essentiae (III, q. IX, art. 2).

Dicitur autem Unigenitus *in sinu Patris* ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, ut ratio reddatur quare potuerit perfecte Deum revelare; ut filius carissimus, reclinatus supra pectus Patris, *in sinu* eius recumbens tenerrima dilectione, qua sponsus amat sponsam, omnia audit eius secreta; huic dilecto atque *unico* Filio nullum Patris secretum remanet ignotum: « secretum Patris sinus Patris vocatur, scribit S. Augustinus. In secreto Patris, qui Patrem novit, ipse enarravit. » — Notetur iterum praepositio motus εἰς τὸν κ. cum verbo quietis, sicut v. 1^2 probabiliter ut inter Unigenitum et Patrem exprimatur relatio vivens et activa. Dicitur autem Unigenitus, incarnatus et habitans in nobis, participio *praesenti* « ὁ ὢν *existens* seu habitans in sinu Patris; » quo videtur exprimi, eum essentialiter ac semper esse cum Patre, etiam dum incarnatus in terra habitat cum hominibus.

Unigenitus ergo, qui videt Patrem atque novit omnia eius secreta: *ipse* ἐκεῖνος, ipseque solus, emphatice subiectum repetitur; — *ipse enarravit* ἐξηγήσατο seu explicavit.... Quid? Obiectum subauditur, at manifeste est idem ac in praecedenti sententia, « *Deus* » scilicet. Consulto non repetitur obiectum, ut illimitata appareat Christi revelatio omnia Patris secreta enodantis nobis: « *Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos. quia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis* » (Joan. XV, 15).

* * *

Sublimi ergo contemplatione a terra sublatus supra universa creata ac saecula Joannes-Aquila (I) intuetur Verbum in aeternitate existens consubstantiale Patri (1-5); — dein (II) Eius vivificum influxum describit erga homines, quos elevat usque ad filiationem divinam (6-13); — (III) dum Ipse Unigenitus Deus caro — factus est pro nobis, ut vitam divinam per gratiam nobis daret, ac veritatem plenam Patrem revelando (14-18).

Haec theologica contemplatio — tam serena simul, ac viva admiratione animata — procedit atque evolvitur *hymni instar*, cuius tamen rhythmicus motus decrescit quo magis accedit ad terram et historiam.

Qui uno conspectu amplectitur eam totam, praeter hunc rhythmum, observabit, tamquam in aquilae volatu, « *a spiral movement,* » prout cl. *A. Plummer* scribit. Quemadmodum enim filum speciale in fune, ita apparet idea quaedam, evanescit, iterum apparet pro maiori doctrinae evolutione, dum et alia iam visa est, evanuit atque iterum mox videbitur... Sic v. gr. *Logos* apparet v. 1 distincte ter, evanescit, at demum iterum v. 14 apparet et tamquam Incarnatum attente describitur. — Ita etiam *creatio* v. 3, atque iterum v. 10. — *Lux* apparet v. 4, disparet, iterum videtur v. 8 et 9. — *Reicitur* Logos v. 5, eadem idea exprimitur v. 10 et 11. — Demum *testimonium Baptistae* recolitur v. 6-7, repetitur v. 15, ac fuse evolvitur v. 19 sq.. tamquam exordium vitae publicae Christi-Jesu (15).

PROLOGUS ET EVANGELIUM

Quo demum tendit hic prologus, si referatur ad reliquum Evangelium? Quaenam est relatio eius cum corpore libri? Haec quaestio multum torquet exegetas et modernos criticos. Unde alii prologum ioanneum considerant tamquam aenigma, alii tamquam clavem totius evangelii; immo *W. Baldensperger*, desperando de aliorum sententia — minime de sua, — loquitur de « mysteriosa sphinge, quae nondum arcana sua exegetis prodidit (16) ».

Iam antiquitus sat multi opinati sunt, Evangelistam, sicut in corpore evangelii, ita statim ab initio nascentes haereses impugnare: *Gnosticismum, Docetismum,* vel *Ebionitismum,* (17) — atque indubie varii prologi textus hos errores refellunt. Sed alia est quaestio, utrum Ioannes revera hoc intenderit.

Alii, perculsi oppositione inter Baptistam et Iesum — quae in prologo manifesta est, — censent, Evangelistam intendere *discipulos Baptistae* exaltantes magistrum suum, ceu verum Messiam, supra Iesum. Hanc sententiam recenter singulari acumine — ne dicam, acuta singularitate! — exposuit ac per totum evangelium applicavit *W. Baldensperger.* Ipse ergo sphingi suae arcana eripuit; — at haec neque erant ignota, neque videntur sola, neque sunt satis alta (18).

Plerique vero hodie, v. gr. *Harnack* (19), *Tillmann,* considerantes praecipue in prologo usum termini «Logou», supponunt Evangelistam hoc modo allicere paganorum mentes ad evangelium, connectendo scil. Iesum (Mediatorem et Deum incarnatum) notioni sparsae inter illos. Haec sententia dependet ab altera quaestione de origine immediata termini «Logou». Sufficiat nobis fateri hanc hypothesim esse possibilem; at est mera hypothesis, egregia quidem, at non propterea admittenda, minime enim probatur.

In discrimine tot opinionum modeste opinamur, modo magis obvio, simpliciori simul atque altiori, esse concipiendam habitudinem prologi ad reliquum evangelium. Credebat ergo Ioannes, sicut et Paulus ac ceteri Apostoli, Iesum esse Dei Filium Unigenitum, Salvatorem nostrum. Hunc Iesum, quatenus praeexistit ut Deus Incarnationi atque creationi in aeternitate, vocavit *Logon,* - quem terminum habebat a libris canonicis V. T. et traditione religiosa palaestinensi. Hic *Logos* describitur a Ioanne in divina sua natura, in actione creatrici universali atque ethice vivifica erga homines, ita deveniendo usque ad Incarnationem: hinc apparent in divina luce ipsa persona Iesu, qui est homo-Deus, eius humana vita et misera mors quae est vita et mors Dei-Salvatoris nostri, eius revelatio demum ac doctrina quae divinam habent originem et auctoritatem.

Prologus ergo est clavis totius Evangelii, immo et christianismi considerati in conditore, doctrina et vita Ecclesiae. Pro-

logus est tamquam divinus sol, ac vere caelestis illuminans ex alto — ex Deo et aeternitate — totum Evangelium. Sicut genealogiis et messianicis prophetiis recedunt Synoptici in tempora praeterita, ut appareat Iesus in messianica veritate et dignitate; ita Ioannes sublimius recedit atque ascendit usque ad caelestia, ad Deum, ad aeternitatem: inde, ut patet, altior tribuitur sensus humili vitae humanae Iesu ac toti Evangelio.

Prologus explicat et elevat evangelium, sicut evangelium explicat et historice evolvit prologum.

Quae in prologo descripta iacent, sententiis abstractis, haud minus simplicitate lucida quam divina sublimitate fulgentibus, — splendet enim ut Sol caelestis qui totus est lucidus; haec nunc in vita reali Jesu-Christi apparebunt.

Jesus Christus est *visibilis revelatio invisibilis Dei:* revelatio divinae veritatis, quam solus Unigenitus, natura sua, ab aeterno et in aeternum contemplatur, et qui est Ipse Dei Sapientia; revelatio divinae vitae cuius principium nobis datur per gratiam; revelatio misericordiae Patris, qui tam dilexit nos ut Filium suum, huncque Unigenitum, daret cruci tradendum, cruci servili, supplicio summo: en summa Dei revelatio in passione ac dilectione summa!

Attamen attente consideranti haec Dei revelatio, per totum IV Evangelium, apparet tamquam *gloriosa Dei manifestatio* miraculis, divinis sermonibus, potestate divina supra naturam atque supra Legem, scientia etiam secretorum et scrutatione cordium... Verbi Incarnati vita terrestris est perpetua gloriosa theophania. Ita ipse Jesus procedens iam ad supremam humiliationem crucis: *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo* (XIII, 31). *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt: et clarificatus sum in eis* (XVII, 10).

Christo ergo, Dei Verbo et Salvatori nostro, omnis honor et gloria.

EXCURSUS « DE LOGO »
SEU VERBO

I. — DOCTRINA IOANNIS EVANGELISTAE.

Usus vocis. — Solus Ioannes, inter scriptores Novi Testamenti, utitur hoc titulo ad designandum Iesum in sua aeterna praeexistentia.

Ev. Ioan. I, 1 (ter): In principio erat *Verbum*
et *Verbum* erat apud Deum
et Deus erat *Verbum*.
» I, 14: Et *Verbum* caro factum est.

Adhuc bis ab eodem adhibetur hoc nomen relate ad Christi divinam personam (vel doctrinam), non tamen absolute sicut in prologo; scil. I Ioan. I. 1: *Quod fuit ab initio, quod audivimus* etc.. *et manus nostrae contrectaverunt de* **verbo vitae** περὶ τ. λόγου τῆς ζωῆς. — Absolute loquendo haec expressio: *verbum vitae* i. e. verbum vivificum, intellegi posset de evangelio salutis nostrae, cfr. similem expressionem Act. Ap. V. 20, XIII, 26, et Hebr. IV, 12 (ita v. gr. cl. *Westcott* in comm. epist. Ioan.). — Attamen considerato contextu qui videtur loqui de « verbo vitae » personali, considerata etiam huius textus analogia cum prologo evangelico, probabilius nobis videtur Ioannem hic etiam designare Christum Verbum Incarnatum, auctorem salutis nostrae; ita plerique v. gr. *Estius, B. Weiss, W. Vrede* etc..

Item Apoc. XIX, 13: *Et vestitus erat (Fidelis et Verax* i. e. *Iesus-Christus) veste aspersa sanguine et vocatur nomen eius*, **Verbum Dei** ὁ λόγος τ. θεοῦ. Hic usus absque dubio est personalis. Censet vero *Swete*, nec immerito, hanc esse formam primitivam tituli huius: cum relativus usus (seu Verbum *Dei*) praecesserit usui absoluto (seu *Verbum*, nulla determinatione addita).

Notandum est autem: α) numquam ab aliis Evangelistis, neque a S. Paulo (20), hunc titulum fuisse applicatum Christo

aeterno seu Filio Dei; — β) nec apud Ioannem umquam hunc titulum occurrere in sermonibus ipsius Domini; — γ) Ioannem demum eo uti, tamquam nomine lectoribus noto.

Hinc licet concludere neque Iesum hoc titulo ad seipsum designandum usum esse, neque primitivam catechesin synopticam et paulinam illum usurpasse; sed primo Ioannem theologum, sub inspiratione divina speciali, hoc nomen assumpsisse tamquam nomen proprium Filii Dei, secundae Personae S.mae Trinitatis.

Doctrina. — Haec theologis abunde nota est; at hic consideramus fontem primaevum theologiae de *Logo*, i. e. praecipue evangelium Ioannis et quidem eius prologum. — Iamvero Evangelista de *Verbo* sermonem exordiens iam Christum considerat, Evangelii obiectum, auctorem salutis nostrae. Verbum carofactum enim est Christus, Salvator noster; atque post prologum, derelicto hoc nomine divino, refert eiusdem vitam terrestrem et coelestem doctrinam sub nomine historico *Iesu*.

Ideo *Verbum: 1.* est aeternum; — *2.* persona distincta a Deo-Patre; — *3.* consubstantiale Patri et Deus sicut Pater; — *4.* Unigenitus Filius a Patre procedens; — *5.* per Verbum omnia facta sunt; — *6.* Verbum est ethice — spiritualis lux et vita hominum; — *7. caro factum est*, qui est Iesus Christus; — *8.* Ipse, qui est in sinu Patris, nobis mysteria Patris enarravit....

Verbum est nomen personale Filii, qui hoc nomine proprie designatur utpote per intellectus emanationem procedens a Patre. Eodem nomine importatur respectus ad creaturas; nam Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam, quia autem ***uno actu*** et se et omnia intellegit, ***unicum Verbum*** eius est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. (cfr. *S. Thomae Summam theol.* I, Q. XXXIV).

Post *Origenem*, inter antiquos singularem testem, nonnulli moderni, paucissimi tamen, inter quos *Harnack* et — res mira! — *Belser* (fidentius quam deceat catholico), *Logon* haud metaphysice tamquam nomen personale Filii Unigeniti Dei (λόγος ἄσαρκος) intellegunt, sed mere metaphorice tamquam unum ex variis titulis historico Christo (λόγος ἔνσαρκος) tributis. At sententia haec manifeste recedit a traditionali exegesi et theologia, neque attingit ioanneam sublimitatem (21).

II. — ANALOGIAE PRAE-IOANNEAE.

Cum inter scriptores Novi Testamenti solus Ioannes hoc nomine utatur ad designandum Filium Dei; cum ex alia parte neque a Iesu appareat usurpatum, (22) neque pro *nomine* adhibendo recurrendum sit ad expressam Dei revelationem (23) — quin tamen specialis Dei assistentia excludatur; unde quaeritur undenam Ioannes nomen hoc hauserit.

Agitur, ut patet, de *nomine*, minime de re seu doctrina. Doctrina enim, quae iam invenitur expressa apud S. Paulum, nequit haberi nisi ex revelatione ipsius Filii Dei qui est in sinu Patris, ex praedicatione scil. Iesu Christi.

Quaenam ergo supponi potest probabilis origo huius nominis ?

Analogiae litterariae omnino notandae habentur tum **1**. in *Veteri Testamento* ac **2**. in *Targumim*, tum **3**. extra Biblia et litteras stricte iudaicas, praecipue apud *Philonem Alexandrinum*.

1. — In Veteri Testamento (24).

Notata est iam in commentario litteraria analogia inter primos versus Geneseos et huius Prologi ioannei. — Ibi etiam *verbo Dei* omnia creantur. At ibi *Deus-Elohim* est dicens, et dicendo creat; minime autem creat Logos seu Verbum; Verbum non exhibetur tamquam persona divina distincta a Deo Creatore: «Quoniam ipse (*Deus)* dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. » (Ps. XXXII, 9).

Aliquando tamen exhibetur mandatum distinctum a mandante, *verbum* apparet tamquam personali charactere donatum. « Verbo Domini caeli firmati sunt » (Ps. XXXII, 6). « Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum » (Ps. CVI, 20; cfr. CXLVII, 15) Item apud Isaiam IX, 8 et LV, 10-11 ; comp. Zach. V, 1-4 et alibi..

Iure autem notat *Lebreton*, hunc esse loquendi modum mere metaphoricum : « Dans tout cela on ne peut voir que de hardies figures de langage; la parole de création, de salut ou de malédiction est personnifiée, elle n'est point conçue comme une hypostase distincte de Dieu. » *(Op. cit.* p. 119).

— In libris Sapientialibus vero singulari cum emphasi exhibetur ceu loquens et agens ipsa « *Sapientia* » ; cfr. praecipue Prov. VIII-IX, et Ecclus. XXIV. Maxime autem in libro *Sapientiae* tam expresse distinguitur Sapientia a Deo, ut nullibi clarius annuntietur et adumbretur dogma christianum, quod ipsis expressionibus huius libri describetur in epistula ad Hebraeos.

Pari tractu, minus expresse tamen, evolvitur ex *Sapientia* et loco eius notio *Verbi*; cfr. v. gr. Ecclus. XLII, 15; XLIII, 28; Sap. IX, 1-2. Praecipue autem notandus est egregius textus, inspirati poetae dignus, Sap. XVIII, 14 seq.; in liturgia Nativitatis Domini usurpatur, opportune tamen mutatus: « Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus (ὁ παντοδύναμος σου λόγος) de caelo, a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit. . »

Spiritus Sanctus quidem, Bibliorum Inspirator, hac metaphorica locutione, prima facie tendenti ad hypostasim *Sapientiae* seu *Verbi*, praeparare potuit revelationem altissimi mysterii Trinitatis; Judaei vero ipsi, addictissimi stricto monotheismo, heic minime viderunt nec suspicati sunt pluralitatem personarum in divinis. Immo supponunt, illos postea huic modo loquendi atque doctrinae renuntiasse, ne viderentur indulgere aut favere dogmati christiano S.mae Trinitatis.

2. — **In Targumim.** (25)

Tempore Novi Testamenti evanuit doctrina *Sapientiae* quatenus hypostaticae. At quemadmodum Alexandriae in eius locum successit doctrina *Logou*, ita et in Palaestina invaluit doctrina et usus *Memra* seu *Dibboura* (i. e. *Verbi*). Targumim quidem post annum 150 Chr. n. scripta sunt; eorum vero traditio removetur usque ad II saeculum ante Christum.

Frequentissimus ergo in Targumim est usus *Memra* in relatione ad Deum (26). Ubi Deus v. gr. in Vetere Testamento exhibetur, litterario anthropomorphismo, organum corporale habens, additur in Targumim nomen *Memra*. Ergo loco: *de ore Domini*, dicitur: *de ore Memra Domini*; — pro: *brachio* aut *manu Domini*, scribitur: *brachium* aut *manus Memra Domini*. Non iam « Deus ambulat », nec « loquitur Deus » ; sed ambulat Memra,

dixit Memra etc. – Quaevis immediata relatio inter homines et Deum censetur divinae maiestatis indigna; unde per Memra iurant, invocant Memra. — Immo quaevis actio *ad extra* Deo tollitur et Memra tribuitur: Memra dirigit sortes Israel, ducit populum electum; Memra se revelat patriarchis, Moysi et prophetis; Memra gubernat mundum et creat...

Hic modus loquendi debetur quidem exaggerato Monotheismo anxie tendenti ad semper magis abstractam spiritualizationem notionis Dei, et ideo vitanti quemvis anthropomorphismum (quo tamen utebatur ipsa Scriptura); debetur etiam scrupulo timenti usum, etiam devotum, nominis sanctissimi Iahveh.

At undenam venit ipsa vox *Memra* (Verbum) inter Rabbinos Palaestinenses? Hucusque libri Sapientiales potius de Σοφία, tamquam de hypostasi media inter Deum et creaturas, loquebantur; rarior vero erat similis usus nomine Λόγου.

Secundum nonnullos lacuna haberetur, anellus deesset inter libros canonicos V. T. et palaestinensem traditionem Targumim; censentque anellum praeberi doctrina alexandrina de *Logo*: « Ainsi l'hypothèse de l'importation alexandrine du terme Logos est plus que plus vraisemblable, ita cl. *L. Hackspill.* Il paraît acquis que le terme λόγος entra en Palestine et s'y maintint sous la forme araméenne Memra' (27) ».

At quamvis hoc modo continua obtineatur catena phaenomenon, recursus ille tamen ad hypotheticum.. influxum exterum minime necessarius nobis apparet. Usus *Memra* (sicut *Shekinah* et *Ieqara*) debetur rabbinicae speculationi in textus biblicos, exhibentes « *verbum divinum* » sive tamquam hypostasim (hi textus sunt rari), sive tamquam emanans a Deo et dictum ad prophetas (hi vero textus sunt frequentissimi). Et sicut Rabbini *habitationem (Shekinah)* litterarie distinxerunt ab inhabitante Iahveh, ne pronuntiarent nomen Iahveh, sicut gloriam (*Ieqara*) diviserunt a glorioso Iahveh, quamvis nullo modo in V. T. haec nomina hypostatice adhibeantur de Deo; ita in illa expressione frequentissima: « *factum est verbum Domini ad talem vel talem* » distinxerunt *verbum* a Domino, eo maiori iure, quo *verbum* iam aliquando in V. T. tamquam *persona* exhibebatur.

Sedulo autem notandum est *Memra* — sicut et *Shekinah* et *Ieqara* – minime concretas hypostases connotare. Plerumque nihil aliud sunt quam inanes periphrases adorandi nominis Dei: pro-

nuntiabant quidem *Memra*, significabant vero Deum, ita cl. *Dalman*: « Man nennt... *Memra*, aber man meint **Gott**. » *(Op. cit.* p. 188). Unde a Rabbinorum *Memra* non potuit immediate et directe fluere doctrina nec theologicus usus *Logou* ioannei; — cum istud non fuerit nisi sonus absque doctrinali proprio sensu. (contra *Westcott*) (28).

3. — « Logos » apud Philonem Iudaeum. (29)

Dualismus Dei et Mundi, en doctrina fundamentalis unde proficiscitur Philo: inter utrumque immediatus contactus repugnat.

Ante quamlibet rem creatam praeexistit materia aeterna. De creatione ergo stricte loqui non potest Philo, sed tantum de formatione rerum ac mundi. Deus vero immaterialis in materiam operari nequit, affirmat Philo: quare entia intermedia fingit inter Infinitum et mundum.

Varia tunc temporis a variis ponebantur entia intermedia inter Deum et homines. Intendens componere Mosaicam religionem cum Graecorum philosophia, illa omnia assumit atque unit: intermedia entia scil. duo philosophica et duo theologica; seu platonicas rationes rerum et energias stoicas ex una parte, ex altera parte Iudaeorum angelos et daemones vel genia Graecorum. Haec varia elementa in unum redacta, praecipue autem Stoicorum doctrina de energiis vel virtutibus activis, praebuerunt Philoni entia, quibus indigebat ut possibilis conciperetur contactus inter concreta finita materialia et Deum spiritualem abstractum.

Ante mundi creationem ideo processerint a Deo rationes omnium rerum; hae sunt virtutes activae, hi sunt λόγοι, quibus Omnipotens creat et regit universum.

Super hos multiplices λόγους ponitur unus supremus « ὁ Λόγος », quae est potentia Dei, activa divina mens; — minime tamen ipse Deus, neque immanens Dei qualitas vel virtus; sed est ratio suprema atque energia quae ceteras rerum rationes et energias in se comprehendit. Neque increatus est sicut Deus, neque creatus sicut res finitae (?!..) Diversis titulis decoratur; legatus Dei dicitur, angelus et archangelus, summus pontifex, Dei instrumentum, immo Dei Filius primogenitus, atque insuper Deus.. ἐν κατχχρήσει

tamen: litterario abusu, inquam, dictus est Deus; nam orthodoxia iudaica, monotheismo strictissimo addicta, prohibebat Philonem ne admitteret sive plures Deos, sive plures personas in divinis.

Primus Philo — anno 40 p. Chr. unus e legatis ad Caligulam, unde inter 20-10 a Chr. natus; primus Philo, inquam, *inter Iudaeos* tam frequenter hoc nomine designavit (fictitia) entia intermedia Deum inter et mundum. Hoc autem habebat a Graecis, praecipue a Stoicis; opinione sua adhuc Iudaeus, multo magis inclinabat ad philosophiam illorum: « En nommant le principal intermédiaire *Logos*, notat acute cl. p. *Lagrange*, on avait l'avantage d'utiliser en même temps toute une série de conceptions stoïciennes... Dès lors le *Logos* s'imposait à Philon, comme un élément nécessaire dans la conciliation qu'il rêvait pour amener les gentils à la lumière de la Loi, pour faire sortir les Juifs de leur isolement, en les gagnant aux spéculations grecques sans sacrifier la foi des ancêtres (30). » Simul videbatur sibi fidelis esse Scripturae, cum scriptum sit: Deum omnia *verbo suo* fecisse.

III. — JOANNES EVANGELISTA ET PHILO JUDAEUS.

Post illa, quae de Vetere Testamento et Targumim disseruimus, evidens est ioanneam doctrinam de *Logo* nullatenus e theologia iudaica fluere. Utrum inter nomina *Memra* et *Logos* relatio supponi possit, postea examinabimus.

Quoad Philonem vero, inter rationalistas cultores « historiae religionum », tamquam axioma valet, iudaismum alexandrinum per quartum evangelium penetrasse in religionem christianam: « C'est au judaïsme alexandrin, imprégné de spéculations platoniciennes, que se rattachent les nombreux écrits de Philon, contemporain de Jésus, *et aussi le quatrième Évangile*, ita *S. Reinach*. Les juifs hellénisants introduisirent dans le christianisne la conception du *Logos* ou *Verbe*, intermédiaire entre Dieu et l'homme, incorporé dans Jésus (31). » Atque *J. Réville* eodem modo scribit ex operibus Philonis intellegendum esse quartum evangelium: « Quand on est familiarisé avec les œuvres de Philon, on n'éprouve plus aucune peine à s'expliquer le disciple bien-aimé du IV[e] évangile (32). »

At tales affirmationes aut sunt leves, aut manifeste inspiratae obstinata voluntate reiciendae originis divinae doctrinae christianae. Unde nonnisi concise referimus analogias mere apparentes inter Logon ioanneum et philonianum, statim indicata essentiali differentia inter utrumque. Pro fusiore expositione cfr. pluries iam laudatum opus cl. *Lebreton: Les Origines du Dogme de la Trinité* (p. 515-527).

1. — Divinitas Verbi. — Secundum Ioannem Verbum essentialiter est Deus: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Pro Philone autem Logos, medius inter homines et Deum, nullo modo est Deus; secus alia intermedia entia sunt ponenda... ac volvimur in circulum vitiosum.

Ter quidem (*Legum allegoriarum* L. III, 207; — *De Somniis,* I, 229; — *In Gen.* II, 62) Philo vocat Verbum « Deum; » expresse autem hunc usum dicit esse abusum, occasione scil. textus sacri explicandi.

Loco citato *De Somniis* explicat Gen. XXXI, 13 (hebr.: *Ego* ὁ *Deus Beth-El,* i-e. *domus Dei;* graece supponitur: ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ θεοῦ); iamvero expresse notat unum esse verum Deum, cum articulo (ὁ θεός); per abusum autem plures dicuntur « θεός » sine articulo. « Hic locus (Gen. XXXI, 13), ita *Philo,* non est cursim praetereundus, sed diligenter examinandus, an duo dii sint. Legitur enim: « *Ego sum ille Deus* (ὁ θεός) *qui tibi apparui* », non « *in loco meo* », sed « *in loco Dei* » ἐν τόπῳ θεοῦ Bethel) quasi in loco alterius. Quid igitur dicendum? Revera Deus unus est, abusive autem (ἐν καταχρήσει) plures: ideo sacra scriptura nunc illum verum per articulum indicat, dicens: *Ego sum ille Deus* (ὁ θεός); ceterum, abusive dictum, sine articulo enuntiat: *Qui apparui tibi in loco* non τοῦ θεοῦ, sed tantum θεοῦ. Vocat autem Deum nunc antiquissimum sermonem suum, non superstitiose de nominibus sollicitus etc.. » — Sollicitus est autem Philo de orthodoxa fide sua ac monotheismo biblico; inde tam expressa declaratio.

Ipso ergo systemate philoniano excluditur divinitas *Logou,* qui ideo mundum coniungere valet Deo quia non est Deus... Dum vero pro Ioanne divinitas Verbi est thesis totius Evangelii, prout legitur XX, 31: « Haec.. scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei ».

2. — Verbum Filius Dei. — Quandoque Philo vocat *Logon* « primogenitum Dei Filium »; scribit etiam Verbum habere Deum patrem, matrem vero sapientiam... Iamvero etiam apud Ioannem Verbum est Filius Dei.

Haec autem analogia est materialis tantum et exterior. Nam apud Philonem paternitas Dei habet sensum mere cosmologicum; quo sensu Deus *omnium est pater* (καὶ τῶν συμπάντων ἐστὶ πατήρ), sicut et Sapientia omnium est mater quia per eam omnia facta sunt. Eodem sensu *Logos* — mundus intellegibilis, ratio et sustentaculum mundi visibilis — dicitur maior natu (primogenitus) Dei, sicut mundus visibilis est filius Dei minor natu.

Nihil simile de Verbo legitur apud Ioannem. Non enim Deus dicitur Pater, *quia* creavit; neque Verbum dicitur Dei Filius, *quia* ab Eo creatus. Sed « in principio erat Verbum » priusquam mundus fieret, ab aeterno Verbum « est Unigenitus in sinu Patris » eique consubstantiale.

3. — Partes Verbi in creatione. — Secundum Philonem omnia per Verbum facta sunt, — sed tamquam per Dei instrumentum subordinatum. Audiantur eius verba, quae sunt manifesta: « Ut gignatur aliquid, multa oportet concurrere: a quo, ex quo, per quod, propter quod. — A quo, causa est; ex quo, materia; per quod, instrumentum; propter quod, finis... Transi nunc a privatis aedificiis ad illam domum sive urbem maximam, id est mundum, et hanc quoque considera; invenies auctorem eius Deum, a quo factus est; materiam vero, quattuor elementa ex quibus temperatus est; instrumentum porro verbum Dei (ὄργανον δὲ λόγον θεοῦ) per quod est conditus; ceterum finalem causam cur conderetur, benignitatem ipsius opificis... » *(De Cherubim* ad finem).

Pro Philone ergo *Logos* est instrumentum - Deo extrinsecum — quo Deus mundum creat et sustentat; medium tenet inter Deum et creaturas, subordinatur Creatori.

Apud Ioannem vero eadem est Verbi ac Patris substantia *(nam Deus erat Verbum)*, eadem potentia, eadem et opera: omnia a Patre et Verbo facta sunt: « *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* » (V, 17).

4. — Mediatio Verbi. — Sicut Deus, iuxta Philonem, non potest creare mundum materialem, quia Ipse immaterialis seu

spiritualis est, ita neque potest immediate agere in mundum vel genus humanum. Quare instrumento intermedio indiget ad gubernandum universum Verbum philonianum hunc medium locum tenet inter Deum et mundum, mundum coniungens Deo; — medium autem tenet, tum in ordine operationis, ac in ordine essentiae; scil. non est neque *increatus* ut Deus, neque *creatus* sicut nos.. Qui potest capere, capiat! Sed ad tantam contradictionem pervenire debebat ipsa notione sua entis intermedii.

« Ceterum, ita *Philo*, illi angelorum principi sermoni antiquissimo (τῷ δὲ ἀρχαγγέλῳ καὶ πρεσβυτάτῳ λόγῳ) hoc eximium donum concessit pater omnipotens, ut in confinio stans, facturam a factore discerneret. Idem supplex immortalem appellat pro mortalibus deprecans, et a summo rege legatione ad subditos fungitur. Quod donum tam libenter accipit, ut iactet etiam dicens: « *Et ego steteram medius inter vos et Dominum* » (Deut. V, 5), videlicet nec ingenitus (ἀγένητος) ut Deus, nec genitus (γενητός) ut vos, sed inter extrema medius, apud utrosque agens obsidem, apud creatorem, ut fides fiat numquam eum deleturum aut deserturum universum genus revolutum in perturbationem ab ordine; apud creaturam vero, ut ea certam spem habeat, numquam Deo propitio curam operis sui defore » *(Quis rerum divin. haeres)*.

Haec doctrina *logou* intermedii est revera centralis in systemate Philonis: nec increatus nec creatus, nec Deus nec homo. Apud Ioannem vero Verbum non est intermedium aliud a Deo; sed Mediator est et Deus, immo quia Deus. Est mediator inter Deum et homines, sed realiter simul Deus et homo: patiens ut homo meretur infinitum tamquam Verbum, et ideo reconciliat nos Deo.

— Temporis iactura nobis videretur, si in hoc diutius immoraremur: utrobique quidem, apud Philonem et Ioannem, nomen materialiter sonat idem, notiones vero infinite distant. Apud Philonem, *Logos* est figmentum abstractum, non dicam metaphysicum, sed — quod peius est — mere mythologicum plenum contradictionibus. Quis umquam serio ac sereno huic comparabit Iesum, personam historicam, divinam, amantissimam? Verbum Ioannis est essentialiter Deus homo, Messias Salvator:

quoad praeteritum, Messias consummans in se omnes Veteris Testamenti prophetias;

quoad praesens, Deus Incarnatus, Iesus historicus, filius Mariae Virginis;

quoad futurum, Redemptor, reconcilians nos omnes Deo et ipse quidem Deus.

Nihil simile de *logo* Philonis dici potest: hic habet officium mere cosmologicum; *Logos* Ioannis habet officium salvificum. Atque ut Verbum-Deus fiat Salvator noster, ipse qui est *Deus* dignatur fieri *caro:* DEUS INCARNATUS, en suprema revelatio evangelica, quae iuxta Philonem implicaret in terminis, cum inter Deum et materiam nullus contactus concipi possit. Suprema christiana veritas Philoni ergo foret suprema contradictio: en summa summarum Ioannes et Philo « aux antipodes! » (33).

Indeque a priori improbabile est, Ioannem *Logon* — etiam quoad nomen tantum — a Philone mutuasse; cum non tantum infinite distet Philo a Ioanne, sed insuper cum notio *logou* philoniani, excludat ac destruat notionem essentialem *Logou* ioannei. *Logos* Philonis nullo modo poterat Ioanni suggerere *Logon*, personam consubstantialem divinam ac Deum; *Logos* Philonis lectores, philosophiae eruditos, nullo modo ad transcendentem *Logon*, simul Incarnatum, Evangelii ducere poterat; ergo nulla omnino neque occasio neque ratio Ioanni erat, ut a Philone acciperet ne ipsum quidem terminum *Logou* ad designandum Iesum in sua aeterna divina praeexistentia.

CONCLUSIONES

1. — Quoad *obiectum* ergo seu *doctrinam* Ioannes certo certius non dependet a Philone. Una tantum, generali modo loquendo, habetur analogia inter utrumque: *Logos* utrobique aliquo sensu medius stat inter Creatorem et creaturas, inter Deum et homines. At toto caelo differt mediatio haec apud Philonem et apud Ioannem. Pro Philone Logos est virtus subordinata Deo ac minime dici potest Deus. Dum vero secundum Ioannem Verbum est essentialiter Deus: Mediator est tamquam creatrix Sapientia Dei Patris; Mediator est tamquam Salvator, et qua talis Deus simul est et homo. — Ad hanc caeterae analogiae referri possunt, sed omnes sunt aeque materiales ac infinite distantes.

2. — Hanc doctrinam de Iesu, Deo ac Filio Dei Patris, seu de secunda persona in divinis; hanc doctrinam, inquam, habuit Ioannes, sicut et Synoptici *ex revelatione Iesu sive verbis sive factis*. Decursu vitae suae Iesus sese revelavit non tantum ceu missum a Deo, prophetae instar; sed manifestavit se tamquam Dei Filium, ac Deum verum, invocantem Deum Patrem suum. Hinc tamquam Filius consubstantialis, ergo ab aeterno, procedit a Deo, processione, ut patet, spirituali, seu, prout dicet S. Thomas iuxta patristicam traditionem, per emanationem intellectus, i. e. tamquam conceptus mentis seu verbum internum.

3. — Litterarie medius inter Synopticos et Ioannem stat *S. Paulus* cum epistulis suis. Iamvero ab Apostolo non tantum ceu Deus exhibetur Iesus, sed talibus cum attributis describitur ut sponte menti legentium occurrat ioanneus prologus: Dominus Noster dicitur « *imago Dei* » (II Cor. IV, 4); « *virtus Dei et Dei sapientia* » per quam omnia facta sunt (I Cor. I, 24).

Integri citandi sunt hi paulini textus, scil. Col. I, 15-17: « (*Christus*) qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae (i. e. genitus prius omni creatura): quoniam in ipso condita sunt universa in caelis, et in terra, visibilia et invisibilia...; omnia per ipsum, et in ipsum (τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτόν) creata sunt: et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant ». — I Cor. VIII, 8: « Nobis... unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. » In epistula demum *ad Hebraeos* egregie haec doctrina evolvitur, praecipue cap. I, 1-4.

Iesus dicitur ideo a Paulo « *imago Dei* », hinc non multum distamus a ioanneo *Verbo Dei*. Iesus dicitur a Paulo « *sapientia Dei et Dei virtus*: θεοῦ δύναμις », hinc creatrix activitas Verbi secundum Ioannem: « *omnia per Ipsum facta sunt.* » — Quin loquamur de sublimi confessione divinitatis Iesu in ep. ad Philipp. II, 6, et de singulari analogia quoad Incarnationem inter ioannei prologi versum 14 et Col. II, 9 ubi Apostolus de Christo scribit « in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter ».

Ergo apud Paulum, frequenter Iesum Deum proclamantem, talia de Iesu-Deo dicuntur, quae ad notionem ducunt Verbi ioannei; nam est *imago Dei, sapientia Dei* et *virtus Dei* per quam omnia facta sunt.

4. — Dicunt Paulum subiisse, quoad expressiones, influxum philosophiae alexandrinae; atque communiter hic loquuntur de quodam Alexandrino, viro diserto ac potenti in Scripturis, Apollo nomine. Hic venit Ephesum, edoctus viam Domini, et docebat diligenter ea quae sunt Jesu (A. A. XVIII, 24 sq.) (34).

Hoc accidit durante tertio Pauli itinere (a 53-58). At quid praeterea de hoc viro scimus? Nihil certe de eius hypothetica Alexandrina philosophia... Et quomodo, fidelis discipulus prout erat, commiscuerit divagationes philonianas doctrinae Iesu, Messiae et Dei Incarnati? Apollo revera non est nisi nomen; et penetratio alexandrina in primitivum coetum christianorum Asiae est mera hypothesis. Est possibilis, at non probata, immo - omnibus consideratis — a priori improbabilis.

Maiori vero cum probabilitate censemus, — quod iam veteres observarunt et confirmatur antiquissima liturgia, — Paulum sicut et Ioannem directe dependere a Vetere Testamento: omnia *Sapientiae* attributa et opera videmus transposita atque applicata Domino Iesu, Dei Filio et Dei Sapientiae creatrici (35). Sic continua unda, flante divino Spiritu, fluit Vetus Testamentum in Novum; intime connectitur Novum Veteri, quod Novum praeparabat atque adumbrabat, — quin recurramus ad hypotheticum influxum exterum.

5. — Hinc ergo transimus ad Logon Ioannis Evangelistae. Sicut Paulus tribut Christo-Domino quae de *Sapientia* in V. T. dicuntur, ita eadem apparent a Ioanne tributa Christo-Verbo. Quoad doctrinam de Christo-Deo, scil. de eius efficacia creatrici, de eius habitu ad Deum Patrem etc., nihil invenitur in prologo ioanneo, quod non legatur apud Paulum in textibus supra-citatis. (36)

Undenam ergo ioanneus terminus *Logos*? Raro quidem in V. T., aliquando tamen sicut σοφία ita et λόγος ad modum hypostaseos exhibetur, prout vidimus. Hic usus librorum Sapientialium forsan debetur influxui alexandrino; — at nos hic quaerimus immediatam originem Logou ioannei.

Frequentissimus usus *Memra* inter Rabbinos Palaestinenses (sicut de cetero et usus *logou* inter philosophos; — potius tamen ille quam hic, cum Ioannes esset Palaestinensis); hic usus, inquam, potuit menti Evangelistae revocare biblicum usum *Logou* iuxta Σοφίαν. At huic anteposuit usum *Logou* varias ob rationes,

quae sunt quaerendae in fecunditate spontanea ac supernaturali mentis Ioannis, Christi theologi.

Logos enim non est alicui inhaerens qualitas, sicut Sapientia. Logos emanat ex ipsa mente, tamquam aliud a mente, at remanens in mente; non quidem externum verbum (λόγος προφορικός), sed prius ipsum internum verbum (λόγος ἐνδιαθετός). Infinitus autem Spiritus, qui est Deus O. M., infinitum, *ergo* Seipsum, ab aeterno intellegit ac dicit: inde a Ioanne assumitur Logos, masculinum nomen, ad designandum procedentem a Deo Filium Unigenitum consubstantialem et aeternum (37).

Quare hoc loco etiam recolendum est, quod notarunt iam Patres ac Theologi: Ioannem scilicet, intendentem docere divinitatem Iesu, initio evangelii sui vitasse titulum *Filii Dei* ad praeveniendam suspicionem nativitatis temporalis. Similiter S. Thomas egregie scribit: « Evangelista tractaturus erat de Verbo, inquantum venerat ad manifestandum Patrem. Unde cum ratio manifestationis magis importetur in nomine Verbi quam in nomine Filii, ideo magis est usus nomine Verbi » (*ad Ioan.* I, 1).

Neque omittenda sunt verba cl. *Estii* ostendentis, quam apte fuerit electa vox « *Verbum* seu *Logos* » ad designandum Dei Filium ab aeterno procedentem a Patre: « Vocatur autem Verbum, Graece λόγος; appellatione sumpta a verbo humano, ex cuius cognitione veluti manu ducendi sumus ad notitiam Verbi divini, nobis alioqui per naturam incogniti. Nam sicut verbum nostrum procedit a mente, ita Filio Dei ex ratione Verbi competit a Patre procedere, velut a mente aeterna: et sicuti verbum nostrum internum, etsi a mente procedens, intime tamen in ipsa permanet, nec ab ea separari potest; ita Filius Dei procedens ex Patre, intimus in ipso permanet, nec ab ipso separabilis est. Rursum sicut mentis nostrae verbum, quo seipsum intellegit, est ipsius mentis imago perfecta; sic Dei Filius est perfecta imago Patris. » (*Comm.* I *Ioan.* I 1). Quae analogiae, nec longius quaesitae, neque altiores sunt, quae Ioannem necessario fugerint, — sufficit eas referre ad verba S. Pauli.

6. — Quid vero de *Logo* Philonis, quem plerique ad Ioannis *Logon* referunt? Utique plerique, inde — ni fallor — a *Maldonato*, censent Ioannem ab exteris hanc vocem mutuasse (affirmat quidem cl. Exegeta S. I. philosophos paganos ab antiquis Hebraeis et hausisse sententiam et vocabulum accepisse, — sed

hoc ad nos non pertinet cum *immediatam* originem ioannei *logou* quaeramus; quamvis et contrarium Maldonati affirmationi potius videatur verum). « Voluit ergo Ioannes accommodate ad usum *(philosophorum)* loqui, voluit intellegi, » ita *Maldonatus*; deinde concludit: « Novam fecimus coniecturam in nova quaestione; meliorem fortasse diem inveniet. » Idem invenies deinceps affirmatum tum a theologis dogmaticis, tum ab exegetis. Sic v. gr. theologus Brugensis, clar. *J. Van der Meersch*, in tractatu dogmatico: « *De Deo uno et trino* » scribit: « Coniectura probabilis est *occasionem proximam* qua Ioannes nomen «*Logos*» assumpserit ad designandum Filium Dei, fuisse doctrinam Philonis tunc temporis sparsam Ephesi. » (p. 527). Item *R. P. Hadr. Simón* C. SS. R. in recentissima (1924) atque optima introductione ad Evangelia: «Apte explicari potest eius *(Logou)* adoptio.. ex philosophiae alexandrinae influxu. Cum verisimile enim sit Philonis opera inter Iudaeos hellenistas valde tum temporis fuisse vulgata, nihil obstat quominus vocem *Logos* in communem usum venisse censeamus, ex quo S. Ioannes, divino illustratus lumine, illam, utpote aptissimam ad significandam divinam Christi naturam desumpserit » *(Op. cit.* 128) (38).

Haec vero sententia, electum terminum « *Logon* » Philonis influxui tribuens, hodie paulatim derelinquitur. Ita v. gr. Loisy, qui in maiori suo commentario quarti Evangelii (1903) sententiam illam admiserat (39); nunc, in recentiori (1921), dependentiam hanc *litterariam* evangelii ioannei a Philone in dubium vocat (40), censetque *Logon* sequi ad Sapientiam Veteris Testamenti: « Le Logos fait plutôt suite aux personnifications de la Sagesse dans l'Ancien Testament » (*Op. cit.* p. 88).

Ioanni praeivit et viam stravit Apostolus, quippe qui omnia *Sapientiae* attributa Christo applicavit. Canonem claudit et revelationem, christologiam simul perficit et coronat Ioannes Theologus sublimi prologo suo, — qui tamquam Sol illuminat totum Novum Testamentum.

ANNOTATIONES

1. — *Praelectiones Biblicae... Nov. Test.* vol. I (Ed. 2ª, 1924), pag. 119. - Praeter hoc volumen, in quo habetur introductio ad Evangelia, editum est alterum quod tractat de reliqua parte Nⁱ Tⁱ. Opus, propter singularem eruditionem et doctrinam optimam, valde commendandum. Auctor diligentissimus immatura morte, heu! iam e vivorum numero est ereptus.

— Placet hic etiam transcribere, quae refert clar. MALDONATUS circa venerationem singularem, qua christiani ioanneum prologum semper habuerunt: « Tanti hoc Evangelii principium Christiani faciebant, ut nimia pene religione venerarentur. Nam solitos multos suspensum de collo ferre, Concilium Antiochenum, Hieronymus (*in comm. in c. Matth. 23*) et Chrysostomus (*hom. 73 in Matth.*) indicant, et tamquam anilem superstitionem reprehendunt, mulierculas enim id maxime fecisse aiunt. Quamquam non video, cur id factum non possimus in meliorem partem interpretari: non tamquam amuletum ex superstitione gestasse, sed praecipue tamquam symbolum fidei, ut se Catholicos, non Arianos esse profiterentur. Quemadmodum si quae vulgo Rosaria vocant, quibus precari sacram Virginem solemus, loco torquis ad collum geras, ut ostendas te non haereticum, sed Catholicum esse, quod multi nunc Galli, Angli et Belgae laudabiliter et religiose faciunt. Versabatur enim olim in his primis Evangelii Ioannis verbis omnis fere inter Catholicos et Arianos controversia: quasi arcem hoc loco Catholicis constituentibus eius fidei, quam habebant, Trinitatis. Quo tempore eam consuetudinem natam suspicor: quemadmodum illam apud nos eadem opinor causa, ut peractis sacris hoc Ioannis Evangelium tamquam symbolum alterum fidei recitetur » (*ad Ioan. I, 1; - Ed. cit., v. II, pag. 375*).

2. — « The three great characteristics of this Gospel, simplicity, subtlety, sublimity, are conspicuous in the prologue: the majesty of the first words is marvellous. The Gospel of the Son of Thunder opens with a peal » (*Op. cit.*, p. 62).

3. — Litterariam gratiam ac singularem difficultatem prologi egregie describit TILLMANN: « Wie ein gewaltiges, säulengetragenes Portal steht der Prolog vor dem Tempelbau des vierten Ev. In knappen, fast allzu schlichten Sätzen baut er tief und geheimnisvoll seine Offenbarungen auf. *Nicht nur sachlich, auch formell darf man den Prolog einen Hymnus nennen.* Die einfachen Formen der hebräischen Poesie, thetischer und antithetischer Parallelismus der Verse und der Gedanken, strophenartiger Aufbau des Ganzen, sind nicht zu verkennen. So einfach die Form, so klar der Satzbau und so schlicht schliesslich auch die Sprache ist, gerade der Prolog stellt der Erklärung wie dem Verständnis eine Fülle von Schwierigkeiten und Fragen. » Die Sphinx am Eingang des vierten Evangeliums hat noch keinem Forscher alle ihre Geheimnisse verraten ». (*Op. cit*, p. 33). — Ultima citata sententia est W. BALDENSPERGER, *op. cit.* p. 1).

4. — « Ceterum, non raro observatur apud Ioannem *quaedam fluctuatio*, qua uno verbo plura complectitur, ita ut *ab uno conceptu facile ad alium transeat* aut plures simul coniungat, in quo, meo iudicio, stat maxima difficultas IV Evangelium interpretandi. » (H. SIMÓN, *op. cit.*, p. 123).

— Hanc *fluctuationem* merito admittit HOLTZMANN in ipso transitu ad diversas historiae periodos: « Meistens hält man jetzt *die Uebergänge zwischen Vorzeit und Gegenwart für fliessende,* ohne es darum in der Auffassung des Details, zur Uebereinstimmung gebracht zu haben ». *Op. cit.*, p. 31).

5. — « Für das Verständnis des Ev., mit dem er durch feine Fäden verknüpft ist, ist der Prolog von unersetzlicher Bedeutung. Er enthüllt nicht bloss das Ziel des Evangelisten, durch die Erzählung eines Augenzeugen Glauben an den in Jesus erschienenen Logos und Gottessohn zu wecken. In ihm erklingen schon die Leitmotive, welche in wunderbarer Verschlingung durch das ganze Ev. hindurchgehen: die göttliche Herrlichkeit des Menschgewordenen, die ergreifende Tragik seines Erdenlebens, Glauben und Unglauben, Licht und Leben, Gnade und Wahrheit. Denn der einzige Gegenstand des Prologs ist nicht etwa der Logos, sondern der Logos, *insofern er das Leben und das Licht der Welt ist.* Das aber sind die eigentlich johanneischen Gedanken, die fast jedem Satz und jeder Erzählung des Ev. ihre eigenartige Farbe leihen.....

« So ist der Prolog in der Tat eine glückliche *Antizipation* der Motive und der Stimmungen des Evangeliums, ein Meisterwerk feinster schriftstellerischer Kunst, eine unerschöpfliche Schatzkammer erhabenster Gedanken, ein Eingangstor, das des pneumatischen Ev würdig ist. - (TILLMANN, *op. cit.*, p. 33-34).

6. — « La lecture ancienne (quod factum est in ipso vita erat) a eu le malheur d'être exploitée par les hérétiques Les *gnostiques* trouvaient dans ce membre de phrase leur éon féminin Zoé (la Vie), lisant: « Ce qui fut fait en lui (dans le Logos) était Vie ». Les *manichéens* y voyaient la distinction de ce qui avait été fait par lui, c'est-à-dire la distinction des deux principes, le bon et le mauvais. Les *eunomiens* et les *macédoniens* (pneumatomaques) pensaient que le Saint-Esprit était désigné par les mots: « ce qui devint en lui », et ils en concluaient que le Saint-Esprit n'était qu'une creature. Saint Ambroise dit que les *ariens* voulaient tirer de ces mots la preuve que le Verbe lui-même avait été fait » (A. LOISY, *Le quatrième Évangile,* 1903, p. 156-157).

7. — *Op. cit.*, p. 121.

8. — LOISY, *op. cit.*, p. 159; A. VAN HOONACKER, *op. et l. cit.*, Secundum cl. Professorem Lovaniensem tamen, hic nondum de Incarnato Verbo et de luce supernaturali ageretur, sed de vita et luce in ordine mere naturali.

9 — Cfr. LIGHTFOOT, *Dissertations on the apostolic age*, p. 387 sq.

10. — PLUMMER, *op. cit.* ad v. 5 (pag. 65): « We have here an instance of what has been called the « tragic tone » in S. John: he frequently states a gracious fact, and in immediate connexion with it the very opposite of what might have been expected to result from it... Cf. *vv.* 10 and 11; III, 11, 19, 32, V, 39, 40, VI, 36, 43, etc. ».

Holtzmann similiter ad v. 5 (pag. 36) « „erstes Anklingen des tragischen Tones, welcher gleich 10-11 stärker angeschlagen wird und den ganzen Fortgang der Darstellung bis zum Leidens-passa bestimmt ».

11. — Circa I, 13. - Occasione variantis lectionis in hoc versu occurrentis optime scribit Plummer in favorem authenticitatis quarti evangelii: « These differences are most important: they shew that as early as A. D. 200 there were corruptions in the text, the origin of which had been lost. Such corruptions take some time to grow: by comparing them and tracing their ramifications we arrive with certainty at the conclusion that this Gospel cannot have been written later than towards the end of the first century, A. D. 85-100 » - Idem notat clar. exegeta ad v. 18; — compar etiam variantes lectiones III, 6, 13; IX, 35. (*Op. cit.*, p. 70-71; cfr. p. 75).

12. — « Das ist der *Höhepunkt,* dem die Darstellung von Anfang an zustrebt, wie es umgekehrt, vom Standpunkt des göttlichen Logos aus gesehen, der *Tiefpunkt* ist, zu dem er herabgestiegen ist » (*Op. cit.*, p. 35).

13. — « Sowohl *Memar* als *Ieqar* und *Shekinah* scheinen vertreten zu sein in Ioh. I, 14... — ὁ λόγος ist *Memra,* ἐσκήνωσεν vertritt *Shekintha,* δόξα steht für *Ieqara.* Alle drei Grössen sind in Iesu Fleisch geworden, womit allerdings von ihnen eine Anwendung gemacht wird, welche ihrem ursprünglichen Sinne widerspricht ». - G. Dalman, *Die Worte Jesu* (Leipzig, 1898), p. 189.

14. — « Le témoignage (*du Baptiste*) est analysé dans le prologue par manière d'argument; il n'est pas surprenant que cette analyse porte la marque de celui qui l'a faite et qui l'adapte à sa démonstration. Elle indique la portée que prend le témoignage du Précurseur dans la pensée de l'Evangéliste » (Loisy, *Le quatrième Évangile* (1903), p. 191).

In altera vero editione (1921) scribit idem exegeta de testimonio Baptistae, prout refertur hic ab Evangelista Ioanne: « La subtilité de cette langue de mystère tranche fortement sur la simplicité de la donnée synoptique ». (p. 108). - Cfr. Holtzmann, *op. cit.* p. 46-47

15. — En egregius textus Plummer: « In this Prologue we notice what may be called a *spiral movement.* An idea comes to the front, like the strand of a rope, retires again, and then reappears later on for development and further definition. Meanwhile another idea, like another strand, comes before us and retires to reappear in like manner. Thus the Logos is presented to us in *v.* 1, is withdrawn, and again presented to us in *v.* 14. The Creation passes next before us in *v.* 3, to reappear in *v.* 10. Then « the Light » appears in *v.* 4, and withdraws, to return *vv.* 8, 9. Next the rejection of the Logos is introduced in *v.* 5, and reproduced in *vv.* 10, 11. Lastly, the testimony of John is mentioned in *vv.* 6, 7, repeated in *v.* 15, taken up again in *v.* 19 and developed through the next two sections of the chapter » (*Op. cit.*, p. 75-76).

16. — Cfr. supra n. 3

17. — Cfr. K. Weiss, *Der Prolog...*, p. 1-2.

18. — W. Baldensperger, *Der Prolog... sein polemisch - apologetischer Zweck;* cfr. recensionem scriptam a R. P. Calmes in *R. B.* 1899, p. 151 sq.

19. — A. Harnack, *Ueber das Verhältniss des Prologs des vierten Evangeliums zum ganzen Werk* (Zeitsch. für Th. und K. (II) 1892, p. 189-231). Pag. 230 concludit: « Der Prolog des Evangeliums *ist nicht der Schlüssel* zum Verständniss des Evangeliums, sondern er bereitet die hellenischen Leser auf dieses vor. Er knüpft an eine bekannte Grösse, den Logos, an, bearbeitet ihn und gestaltet ihn um — falsche Christologieen *implicite* bekämpfend — um ihm Iesus Christus, den μονογενὴς θεός, zu substituiren, resp. ihn als diesen J. Chr. zu enthüllen. Von dem Momente an, wo dies geschehen ist, ist der Logosbegriff fallen gelassen. Der Verfasser erzählt nur noch von Jesus, um den Glauben zu begründen, dass er der Messias, der Sohn Gottes sei... » — (Cfr. infra n. 33).

E regione observat Loisy, alludens ad praecedentem textum Harnack: « Mais si le Verbe apparaît d'abord comme une énigme, on s'aperçoit, après avoir lu le livre, que cette énigme en *est la clef unique et véritable*. Le prologue et le livre sont à expliquer l'un par l'autre; ils sont inintelligibles l'un sans l'autre ». — *Comm.* 1903; p. 153-154 Optime sane; haec est etiam opinio nostra, sicut et cl. P. Prat S. I. in *Dict. Bible Vig*, ad v. *Logos* (IV, p. 324).

20. — In epistula *ad Hebraeos* IV, 12 legitur egregia descriptio de singulari virtute verbi Dei: « *Vivus est enim sermo Dei* ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti...* » Olim quidem nonnulli hoc de personali *Verbo* intellexerunt, ita recentius adhuc cl. p. Corluy (*Spicilegium dogmatico-biblicum*, I, p. 138); melius tamen cum plerisque modernis intellegatur de externo sermone Dei, ita v. gr. A. Crampon, B. Weiss, Westcott J. Graf, M. Sales etc.

21. — Cfr. E. Krebs, *Der Logos als Heiland im ersten Jahrhundert* (1910), p. 3-7.

22. — Belser tamen censet — et ipse solus — terminum *Logon* Evangelistae forsan fuisse suggestum hac sententia Domini *Ioan. XVII, 17:* ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστιν. — *Logos* in hac sententia designaret *Filium Dei*, ideoque inde flueret prooemii *Logos*. Sed quare non alibi tunc occurrit hic titulus sive in pericopis Evangelistae propriis, sive in sermonibus Domini?

23. — Nonnulli quidem recurrerunt ad revelationem, immo hanc revelationem censuerunt receptam visione *Apoc. XIX, 13.* « Sed, prout observat cl. Knabenbauer, potest dubitari num eo loco revera revelatio contineatur. » *Lexicon Biblicum*, vol. II, v. *Logos*, col. 976... — Cfr. Krebs, *op. cit.*, p. 7-9.

24. — Cf. L. Hackspill, *Étude sur le Milieu religieux et intellectuel contemporain du N. T.* — R. B. 1901, p. 200 sq. Les êtres intermédiaires, § 1. La Sagesse (p. 202-215), § 2 Le Logos (p. 377-384), — 1902, p 58 sq. La Parole (*Memra*). — R. P. Lagrange in R. B. 1908, p. 493-497.

Item J. Lebreton, *Les Origines du Dogme de la Trinité* (1910), p. 110 sq. La Sagesse; p. 119 sq. La Parole; p. 145 sq (Le Judaïsme palestinien). La parole.

25. — Cfr. G. Dalman, *Die Worte Jesu*, p. 187-189, et accuratum studium L. Hackspill in R. B. 1903, p. 58-66. — Item A. Edersheim, *The life and Times of Jesus the Messiah* (1907) I, ch. IV: Philo of Alexandria, the Rabbis, and the Gospels, p. 40 sq.

26. — EDERSHEIM, *op. cit.*, I, p. 47 scribit: « Altogether that term, as applied to God, occurs in the Targum Onkelos 179 times, in the so-called Jerusalem Targum 99 times, and in the Targum Pseudo-Jonathan 321 times ». — Res vero singularis dictu, prout notat idem auctor, *numquam occurrit haec expressio in Talmude* (*Op. cit.*, I, p. 46-47).

27. — « Mais le nom de Memra'? scribit HACKSPILL quaerendo eius originem. Ici nous sommes obligés d'admettre une influence alexandrine. La doctrine palestinienne de la Sagesse ne pouvait pas facilement donner lieu à des applications aussi fréquentes que celles que nous constatons dans les Targoumim. *Entre ceux-ci et les derniers écrits sapientiaux il existe un vide, une absence complète de cohésion et de transition, une lacune inexplicable, si nous refusons de reconnaître une influence à la doctrine alexandrine du Logos.* Si le fond de doctrine est le même dans les écrits sapientiaux et dans les Targoumim, on ne voit pas pourquoi tout à coup ces derniers substituent à la σοφία des premiers le concept formellement nouveau de la Memra', à moins d'admettre une parenté formelle entre la Memra', à moins d'admettre une parenté formelle entre la Memra' palestinienne et le Logos alexandrin. (R B. 1902, p. 64) — Ainsi l'hypothèse de l'importation alexandrine du terme Logos est plus que vraisemblable... — il paraît acquis que le terme λόγος entra en Palestine et s'y maintint sous la forme araméenne Memra'... » (*Ibid.* p. 65).

28. — Ita cl. WESTCOTT in egregio suo commentario (ed. 1908) I, p. 5: « The theological use of the term (λόγος) appears to be derived directly from the Palestinian *Memra*, and not from the Alexandrine *Logos* ».

29. — Cfr. SCHÜRER E., *Geschichte des Jüdischen Volkes im Z A. Jesu Christi* (4 Aufl.) III, p. 696 sq. — LEBRETON J., *Les théories du Logos au début de l'ère chrétienne* (1906). — Recentius demum omnes analogias, seu philosophias graecas de *logo* loquentes, accurate examinavit cl. p. LAGRANGE in R B. *Vers le Logos de Saint Jean* (1923, p. 96-107: Le Logos d'Héraclite; p. 161-184; 321-371: Le Logos de Philon).

30. — *Loc. cit.*, p. 324-325. Pro electa voce λόγος adhuc notentur eiusdem cl. Exegetae verba sequentia: « Pourquoi choisir le Logos? Il était assez désigné comme foyer des idées. Puisque Philon était résolu a faire leur part aux Stoïciens en leur prenant le Logos, lien du monde, il réalisait une merveilleuse unité en faisant aussi du Logos l'instrument de la création. Enfin il était guidé par l'Écriture elle-même, car rien n'était plus clair que cette notion: Dieu a créé le monde par sa parole (λόγος), expression de sa pensée et de sa volonté ». (*Ibid.* p. 329-330).

31. — REINACH S., *Orpheus. Histoire générale des Religions* (1909), p. 367.

32. — RÉVILLE J., *Le IV[e] Évangile*, p. 319 (ed. 2., p. 322). - Idem scribit p. 102 (ed. 2., p. 105): « L'auteur qui a écrit le Prologue était, non pas frotté d'un vernis de théologie philonienne, mais nourri jusqu'à la moelle de philosophie religieuse judéo-hellénique. Il en manie les concepts avec l'aisance et la sûreté de main d'un maître ».

33. — Ad v. 14 (*Et verbum caro factum est*) notat etiam PLUMMER: « This is the gulf which separates S. John from Philo ». (*Op. cit.*, p. 71).

Optime notat etiam GODET: « Aux yeux de Philon, comme à ceux de Platon, le principe du mal est la matière; le philosophe juif ne songe donc nulle part à faire descendre ici-bas le Logos, et cela sous une forme corporelle. Chez Jean, au contraire le fait suprême de l'histoire est celui-ci: « *Le Logos a été fait chair* », et c'est aussi le mot central du prologue.. (*Op. cit.*, ed. 4, II, p. 99).

34. — Ita v. gr. cl. LEBRETON: « Volontiers on attribue à l'influence d'Apollo cette pénétration de la théologie paulinienne par la doctrine alexandrine, et cette hypothèse est vraisemblable: on sait par le livre des Actes (XVIII, 24 sqq.) qu'Apollo était un Alexandrin et un exégète habile; dans les communautés chrétiennes, son action avait été profonde, jusqu'à créer même, malgré lui, au sein de l'église de Corinthe, un groupe distinct et rival des autres. On peut remarquer enfin que les conceptions alexandrines apparaissent précisément dans les lettres adressées aux églises d'Asie et de Corinthe, c'est-à-dire aux églises où s'était exercée l'action d'Apollo; peut-être y a t-il là plus qu'une coïncidence fortuite ». (*Op. cit.*, p. 386).

35. — Placet nobis hoc confirmare verbis cl. LEBRETON, qui tamen *quoad terminum* admittit influxum philonianum: « Cependant c'est bien dans ce livre (de la *Sagesse*) que nous trouvons le pressentiment le plus net du dogme chrétien, et bientôt l'interprétation authentique de l'auteur de l'épître aux Hébreux y fera apparaître en pleine lumière cette théologie du Verbe que nous n'avons pu y distinguer qu'obscurément » (*Op. cit.*, p. 118).

36. — Ita similiter R. P. LEBRETON: « Dans ces différents documents, surtout dans l'épître aux Hébreux, on trouve tous les éléments essentiels de la doctrine chrétienne du Verbe; le nom seul manque ». (*Op. cit.* p. 387). Ac propterea ulterius progrediendo affirmat E. KREBS, et quidem iure merito, problema christianae *doctrinae* de Logo iacere potius apud Paulum quam apud Ioannem: « Paulus setzt nun wirklich *Christum* und die *Sophia des Alten Testaments* auf eine Stufe, ja er nennt Christum direkt « Gottes Kraft und Gottes Weisheit.. für die Berufenen. » (I Kor. I, 24). Und darum liegt das eigentliche Problem der christlichen Logoslehre nicht so sehr beim hl. Iohannes als bei ihm. » (*Op. cit.* p. 81. - Cfr. etiam RESCH, *Das Kindheitsevangelium*, p. 243-253: Analytische Vergleichung des johanneischen Prologs mit dem Kindheitsevangelium.

37. — Acute notat clar. P LAGRANGE in R B. 1908, p. 495: « On sait que l'idée de la Sagesse se développa ensuite en celle du Logos, la Sagesse n'étant pas demeurée en Dieu, mais étant sortie de sa bouche. Le terme de Logos ou de parole étant masculin, se prêtait mieux au rapprochement avec un fils. D'autre part il accentuait la distinction entre le principe et le terme de la génération ». Deinde p. 496: « Le Judaïsme avait donc conduit jusqu'au terme de Fils de Dieu la doctrine de la Sagesse... »; atque alludens ad prologum Ioannis idem theologus concludit: « Au point de vue historique, elle se présente à nous comme la pierre d'attente à laquelle s'est soudée la foi au Fils de Dieu qui s'est révélé en Jésus ». p. 497. — Comp. W. BAUER, p. 6.

38. — Eodem sensu concludit FR. TILLMANN, ioanneum usum termini *Logou* tamquam invitationem esse, ad mundum paganum directam, ut ad

verum Logon accederent quem iam anima quaesierant: « So ist in der Tat der Prolog des 4 Ev., indem er auf den Logosgedanken für das christliche Geheimnis des Sohnes Gottes seine Hand legte, eine Einladung an die hellenische Welt geworden, zu dem wahren Logos zu kommen, den sie mit der Seele gesucht hat » (*Op. cit.*, p. 37-38). - Compar supra n. 19. — Cfr. etiam H. Höpfl O. S. B., *Introductionis in s. utriusque Testamenti libros Compendium*, vol. III (1922), p. 159-164. Heic clar. Professor S^ti^ Anselmi de Urbe dilucide exponit quaestionem hanc, atque valide propugnat catholicum dogma contra asserentes, doctrinam ioanneam de Logo fluere ex philosophia iudeo-alexandrina Philonis.

— Tamquam optima studia generalia-theologis utilissima-commendamus, praeter pluries citatum opus cl. P. Lebreton, articulum brevem at plenum et dilucidum (more gallico) in *Dict. Bibl. Vigouroux* (IV, 323-329) scriptum a R. P. Prat; — item accurata eruditione et diligentia magna (nunc more germanico) excellet opusculum E. Krebs, *Der Logos als Heiland im ersten Jahrhundert* (1910).

39. — A. Loisy in commentario IV[i] Evangelii (1903) scribit: « On peut donc et l'on doit soutenir à la fois que la conception johannique du Logos est originale, et qu'elle procède en partie de la philosophie alexandrine et philonienne ». (p. 121–122) — « L'influence des idées philoniennes sur Jean n'est pas contestable; mais Jean n'emprunte pas pour cela les idées de Philon... » (p. 154).

40. — In editione autem 1921 fatetur: « ...si les affinités sont multiples entre les doctrines de notre évangile et celles de Philon, les différences ne sont pas moins considérables, et même il n'est pas autrement probable que l'évangile johannique dépende littérairement des écrits philoniens ». (p. 88). Optime sane. Mieux vaut tard que jamais!

QUAESTIO
CIRCA INSPIRATIONEM BIBLICAM

Utrum inspiratio divina primo ac formaliter illuminet hagiographi speculativum iudicium an practicum tantum?

In opusculo « *De Natura et Extensione Inspirationis Biblicae* » scripsimus, secundum expressam doctrinam S. Thomae, vi huius charismatis non novas species menti hagiographi infundi, sed eiusdem **iudicium** illuminari atque divinum fieri (1).

At hic exsurgit dubium: de quonam iudicio agatur. Duplex enim in conscribenda veritate divina distinguitur hagiographi iudicium; iudicium scil. speculativum: *quia vera sunt* scribenda, et iudicium practicum: *quia scribenda sunt.* Quicumque scribit, obiective determinatur ad scribendum *practico hoc iudicio*, quod voluntatis obiectum concipit sub ratione veri, at nondum iudicat de interna scribendorum veritate. Ultra hoc practicum iudicium habetur *iudicium speculativum* de ipsa scribendorum veritate.

Iamvero quia hagiographi, priusquam scribant, plerumque iam cognoscunt quae scribenda sunt, aliquando propria experientia certissima; immo quia sub inspiratione scribentes, iidem hagiographi haud dispensantur ab inquisitione, at e regione attento examini dediti apparent, hinc nonnulli egregii theologi (2) posuerunt inspirationem Dei non quidem speculativum iudicium directe divinum facere, sed practicum tantum respiciens voluntatem scribendi; ita ut illuminati quoad practicum iudicium auctores sacri exsequerentur Dei mandatum, facerentque Dei opus; — ergo mediate saltem, sed mediate tantum, divina et infallibilis foret veritas ipsa scripto expressa.

1. — Consideratis vero *S. Thomae verbis* haec sententia admitti nequit; non tantum quia, secundum Angelicum, inspiratio pertinet ad charismata intellectum respicientia; sed praecipue quia, ubi S. Doctor loquitur de iudicio de acceptis, distinguit in ipsissima cognitione: *species* et *iudicium de speciebus.* Sicut autem species — secundum elementa logicae — respiciunt primam intellectus operationem, quae est simplex apprehensio; ita et *iudicium respicit eumdem speculativum intellectum species componentem aut dividentem.* Cfr. IIª IIªᵉ Q. CLXXIII, art. 2; CLXXIV, art. 2 ad 3; — comp. *De Veritate,* Q. XII, art. 12 ad 10.

2. — Neque obiciatur, hagiographos plerumque non tantum praevias species habere, sed etiam iudicium certum propria experientia de iis ferre. Nam hoc iudicium est mere naturale; dum vero, sub lumine divino, elevatur hagiographi iudicium ad veritatem divinam et divinam certitudinem: in iudicio habetur veritas, atque veritas divina est obiectum inspirationis biblicae. Quae ergo naturali experientia vel ratione ab hagiographo cognoscuntur, altiori modo manifestantur per illustrationem divini luminis. Cfr. IIª IIªᵉ Q. CLXXI, art. 3 ad 2.

3. — Hoc autem divinum speculativum iudicium de scribendis omnino requiritur, quia ea quae in Bibliis scripta sunt divina fide sunt credenda; ergo oportet divinitus sint iudicata ac scripta. Tanta est ergo dignitas divinae Scripturae, tanta est benignitas Dei erga nos, ut per has litteras *immediate* nos docere dignetur, prout dicit Angelicus Magister noster. *(In II ep: ad Tim. III, 16).*

4. — Non negatur quidem, vi inspirationis, voluntas moveri et ideo practicum iudicium illuminari a Deo; hoc patet per se, cum agatur de actu imperato voluntatis, ac totus hagiographus qua scribens sit Dei minister atque instrumentum. Nequidem negatur etymologice forte et certe frequenter vox « inspiratio » adhiberi de voluntatis impulsu vel cordis tactu. At quaeritur quid in *biblica* inspiratione sit formale. Iamvero cum *biblicae* inspirationis obiectum ac terminus sit divina veritas seu divinus liber veritatis divinae, inspirationis formale ac specificum absque dubio est illuminatio iudicii speculativi de ipsa veritate scribendorum et credendorum.

5. — Definitive ergo derelinquatur opinio illa de mere practico iudicio illuminato per inspirationem divinam, quia certe

abutitur D. Thomae verbis. De cetero cum saltem *mediate* velit salvare divinam veritatem et originem scribendorum, inutilis est talis reductio divini influxus, quae revera est divinitatis Bibliorum deminutio.

---

1. — Cfr. *Xenia Thomistica,* II, p. 38-39; in *exstracto* p. 6-7.

2. — Ita v. gr. Pesch, Chr.: *Praelectiones dogmaticae* (1894) t. I, p. 234; ac postea in tractatu *De Inspiratione S. Scripturae* (1906) p. 418-419; — Lévesque, E.: *Essai sur la nature de l'Inspiration* in Revue des Fac. cath. de l'Ouest, 1895, p. 208-211; et in RB. 1895, p. 422, 1897, p. 324-326. — Calmes, Th.: *Qu'est-ce que l'Ecriture Sainte ?* (Paris, 1899), p. 33-41; — Vacant. A.: *Etudes Théol.* I, p. 473; — Merkelbach, H.: *L' Inspiration.*, p. 32 (n. 10).

— Contra Zigliara *l. cit.* in opusculo nostro. — Lagrange, M. J. RB. 1896, p. 209-210, allegato textu II II, q. CLXXIV, a. 2 ad 3 (in opusculo nostro l. cit.) pergit clar. Auctor: « Rien de plus lumineux. S'il s'agit de l'action de Dieu sur l'intelligence par l'inspiration, dans ce dernier stade de la composition, elle consiste à élever l'esprit de l'écrivain sacré de manière à ce qu'il juge avec la certitude de la vérité divine des objets présentés à son esprit: rien de moins quant à la certitude, rien de plus quant à la manière dont les objets lui sont d'abord connus. — .. c'est Dieu qui est la cause du jugement certainement vrai, c'est donc lui qui l'a prononcé, c'est lui qui parle et qui enseigne ». — Chauvin, C.: *L'Inspiration des Ecritures* (1896) p. 33 sq.; *Encore l'inspiration biblique* in La Science catholique, 1900, p. 301-314; *Leçons d'Introduction générale,* (nouvelle éd. s. d.) p. 24-25 — Hugon, Ed.: *La Causalité instrumentale en théologie* (2ª ed. 1924) p. 44; — Garrigou-Lagrange, Reg.: *De Revelatione* (2ª ed.) I, 158; — Höpfl, H.: *Tractatus de Inspiratione S. Scripturae* (1923) p. 24-26; — Mangenot, E. in *Dict. de la Bible* (*Vigouroux*) III, col. 904: « Ce dernier sentiment, qui *fait consister l'inspiration essentiellement dans la motion à écrire,* ne nous semble pas expliquer assez nettement l'effet produit sur l'intelligence des écrivains sacrés, *ut recte mente conciperent,* dit Léon XIII, car la conception du livre a été tout entière opérée sous l'influence divine, et *non pas seulement le jugement pratique,* porté sur l'opportunité d'écrire les concepts précédemment acquis ».

I. — INDEX LEXICOGRAPHICUS GRAECUS

αἱμάτων (ἐξ..), 27
ἀληθινός – ἀληθής, 22
ἀρχῇ (ἐν..), 7-8.
δι' αὐτοῦ, 11
δόξα 32, 61
ἐγένετο (ἀπεσταλμένος), 18
ἐθεασάμεθα, 32
ἔμπροσθέν μου γέγονεν, 35
ἐξουσίαν - δύναμιν, 25
ἐρχόμενον (ἦν...), 22-23
ζωή — φῶς, 14-15
ἦν (*impft. aeternitatis*) 8-9
ἴδια (τὰ..), ἴδιοι (οἱ..), 24-25
Ἰησοῦς Χριστός, 38
καταλαμβάνω, 16
καταχρήσει (ἐν..) 49, 51
κέκραγεν, 34
κόσμος, 24
λόγος (ὁ), 9; (*Philo*:) 49 sq.; 61, 62.
ὁ λ. τ. ζωῆς, 44
ὁ λ. τ. θεοῦ, 44
λ. ἄσαρκος; — ἔνσαρκος, 45
λ. προφορικός; — ἐνδιαθετός, 57
μαρτυρέω — μαρτυρία, 20
μονογενής (παρὰ πατρός) 32-33
μονογενὴς θεός, 39
ὅσοι, 25
οὐδὲ ἕν — οὐδέν, 12
οὐδεὶς . . . πώποτε, 39
οὗτος, 11
ὁ ὢν εἰς τὸν κ., 40
πάντα — τὰ πάντα, 11
παραλαμβάνω — λαμβάνω, 25
πιστεύειν εἰς, 26-27
πλήρης, 33
πλ. χάριτος καὶ ἀληθείας, 33
πλήρωμα, 37
πρὸς τὸν θ., 10
σάρξ, 30
σκηνοῦν, 31, 32, 61
σκοτία — σκότος, 15
σοφία, 48 sq., 56
χάριν ἀντὶ χάριτος, 37
φαίνει, 16
φωτίζει, 22
ὡς, 32.

VERBA HEBRAICA ET ARAMAEA

berêshith, 7
dibboura, 47
iachid, 33
ieqar(a), 32, 48, 61
Io-(Ieho)chanan, 19
kabod, 32
memar(memra), 47 *sq.;* 61, 63.
rab chesed ve'emeth, 33
shekinah (—tha), 32, 48, 61.

II. — INDEX ONOMASTICUS

Numeri, qui post « *passim* » leguntur, indicant plerumque excerpta verba, aliquando etiam notandas opiniones.

Albertus Magnus B., 4.
Alcuinus, 3.
Alès, A. d', 38.
Ammonius, 3.
Augustinus S., *passim*, 1, 3, 24, 27, 38, 40.
Baldensperger W., 4, 19, 21, 41, 42, 59, 61.
Bauer, W., 4, 64.
Beda Ven. S., 3.
Belser, I., 4, 38, 45, 62.
Blass, Fr., 28.
Boëtius, 33.
Bonaventura S., 4.
Caietanus de Vio, 4.
Calmes, Th., *passim*, 4, 10, 12, 61, 68.
Calmetus, 4.
Cellini, A., 4.
Chauvin C., 68.
Clemens Alex., 37.
Corderius, B., 3.
Corluy, I., 4.
Cornely, R., 3.
Cramer, I. A., 3.
Crampon, A., 6, 16, 22, 37, 62.
Cyrillus Alex., S., 3, 21.
Dalman, G., 32, 49, 61, 62.
Dante, A., 12.
Edersheim, A., 62, 63.
Epiphanius S., 14.
Estius, 44, 57.
Euthymius Zig., 3.
Flavius Ios., 19.
Frey, I.-B., 15.
Garrigou-Lagrange, R., 68.
Godet, I., *passim*, 4, 20, 64.
Graf, I., 62.
Grandmaison L. de, 4.
Grill, I., 4.
Hackspill, L., 48, 62, 63.
Harnack, A., 4, 30, 39, 42, 45, 62.
Harris, R., 4.
Heracleo, 3.
Hieronymus S., *passim*, 3.
Hilarius S., 8.
Holtzmann, H. I., *passim*, 4, 24, 60, 61.
Höpfl, H., 65, 68.
Hort, F. I. A., 39.
Huby, I., 4.
Hugon, Ed., 68.
Iansenius Gand., 4.
Ioannes Chrys. S., *passim*, 3, 17, 26, 32.
Irenaeus S., 27.
Iustinus, S., 27.
Knabenbauer, I., *passim*, 4, 8, 18, 62.
Krebs, E., 62, 64, 65.
Lagrange, M. I., *passim*, 4, 13, 29, 30, 50, 62, 63, 64, 68.
Lebreton, I., 4, 12, 13, 16, 46, 51, 62, 63, 64, 65.
Lévesque, E., 68.

Lightfoot, I., 21, 60
Loisy, A., *passim*, 4, 13, 58, 60, 61, 62, 65.
Maldonatus, *passim*, 4, 8, 14, 21, 23, 31, 32, 35, 57, 58, 59.
Mangenot, E., 68.
Médebielle, A., 4.
Merkelbach, H., 68.
Morin, G., 28.
Nestle, E., 13, 36, 39.
Nonnus Panop., 3.
Origenes, 3, 37, 45.
Pesch, Chr., 68.
Philo Alex., 2, 46, 49 sq.
Plummer, A., *passim*, 4, 5, 12, 19, 23, 24. 29, 41, 59, 60, 61, 63.
Prat, F., 62, 65.
Recognitiones Clem., 21.
Reinach, S., 50, 63.
Resch, A., 4, 13, 28, 64.
Réville, I., 4, 50, 63.
Rupertus, 4.
Sales, M., 4, 6, 16.
Schanz, P., 4.
Schürer, E., 63.
Simón, H., 5, 13, 58, 59, 60.
Soden, H. von, 12, 36, 39.
Tertullianus, 28,
Theodorus Mops., 3, 8, 14, 32, 37.
Theophylactus, 3, 8, 17.
Thomas Aq., S. « *vir modestissimus* » ita egregie Maldonatus; *passim*, 4, 8, 9, 11. 26, 27, 35, 45, 66-68.
Tillmann, Fr., *passim*, 4, 10, 29, 59, 60, 61, 64.
Toletus, 4.
Vacant, A., 68.
Van der Meersch, I., 58.
Van Hoonacker, A., 4, 13, 14, 16, 60.
Vogels, H. I., 12, 36, 39.
Vrede, W., 44.
Weiss, B., *passim*, 4, 44.
Weiss, K., 4, 16.
Westcott, B. l., *passim*, 4, 17, 49, 63.
Wordsworth-White (WW), 12, 22.
Xenia Thomistica, 68.
Zahn, Th., *passim*, 4, 23, 32.
Zigliara, Th., 68.
Zorell, Fr., 33.

III. — INDEX GENERALIS

Praefatio 1–2

Bibliographia 3–4

Commentarius Ioan. I, 1–18. 5–43

— Introductio et Divisio 5-6
I. Verbum in se (v. 1-5) 6-17
II. Verbi ingressus in mundum (v. 6-13) . . . 18-29
III. Verbi Incarnati revelatio (v. 14-18) 29-41
— Prologus et Evangelium. 41-43

Excursus de Logo 44–58

I. Doctrina Ioannis 44-45
II. Analogiae prae-ioanneae 46-50
1) in Vet. Test. 46-47
2) in Targumim 47-49
3) apud Philonem. 49-50
III. Ioannes et Philo 50-54
— Conclusiones 54-58

Annotationes 59-65

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Quaestio circa Inspirationem Biblicam: *Utrum inspiratio divina primo et formaliter illuminet hagiographi speculativun iudicium an practicum tantum?* 66–68

Indices 69–72

IMPRIMATUR :

Fr. Leonardus Lehu Vic. Gen. O. P.
Fr. Albertus Lepidi, O. P., S. P. A. Magister.
† Iosephus Palica, Arch. Philippeu. Vic. Ger.

GTU Library
BS2615.3 .V6 G
Voste, Jacques Mari/De prologo Joanneo e
3 2400 00059 2612

25687
BS
2615.3
V6
AUTHOR
Voste, Jacques Maria
TITLE
De prologo Joanneo et logo

EIUSDEM AUCTORIS

Commentarius in Epistulas ad Thessalonicenses

A. R. P. M.-J. Lagrange o. p. in *Revue Biblique*, 1917, p. 574:

« Par ce commentaire le R. P. Vosté prend rang parmi ler meilleurs interprètes de la pensée de S. Paul ».

La *Civiltà Cattolica*, 20 Apr. 1918, p. 164-165:

« ... Commentari di tanta sodezza di dottrina, chiarezza di esposizione e conveniente ampiezza, non è dato trovare troppo spesso, anche sui banchi delle librerie moderne. Fu lodevole consiglio e giovevole alla diffusione del libro, quello di scrivere in lingua latina, che fluisce sotto la penna del dotto A. con una lucidità perfetta.

« Alla bontà letteraria della composizione questo bel volume accoppia la più sana dottrina... ».

**

Commentarius in Epistulam ad Ephesios

A. R. P. L. Fonck s. i. in *Biblica*, 3 (1922) p. 237:

« Commentarius cl. Auctoris multis praeclaris dotibus commendatur. Excellit solida et vasta eruditione litteraria ac philologica; doctrina sana theologica ac vere ecclesiastica; magna reverentia erga Patres et traditionem Ecclesiae; pietate etiam, quae in ipsa expositione textus sacri ad fructum spiritualem carpendum attendit ».

P. Dausch in *Theologische Revue* 1924, Nr 8-9 ed. 303:

« Was uns Deutschen vielfach nicht gelingt, die Verbindung strenger Wissenschaft mit *klarer, anziehender* Darstellung, können wir an diesem Kommentar zu einem der dunkelsten Briefe Pauli bewundern ».

**

De Scripturarum Veritate iuxta recentiora Ecclesiae documenta (1924)

**

De Natura et Extensione Inspirationis Biblicae secundum principia Angelici Doctoris (1924)

Stabilimento Tipografico Riccardo Garroni — Piazza Mignanelli, 23 - Roma

Lib. 5.